DE

VITA ET SCRIPTIS NICOLAI BORBONII

VANDOPERANI

THESIM

AD DOCTORIS GRADUM RITE CAPESSENDUM AMPLISSIMÆ FACULTATI
LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

G. CARRÉ

UNIVERSITATI AGREGATUS
IN LYCÆO LAKANALI HISTORIÆ PROFESSOR

PARISIIS
APUD HACHETTE ET C^{es} BIBLIOPOLAS
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCLXXXVIII

DE

VITA ET SCRIPTIS NICOLAI BORBONII

VANDOPERANI

THESIM

AD DOCTORIS GRADUM RITE CAPESSENDUM AMPLISSIMÆ FACULTATI
LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

G. CARRÉ

UNIVERSITATI AGREGATUS
IN LYCÆO LAKANALI HISTORIÆ PROFESSOR

PARISIIS

APUD HACHETTE ET C^{es} BIBLIOPOLAS
VIA DICTA BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

MDCCCLXXXVIII

ACADEMIÆ TRECENSI

CUJUS PARS PARVA FUIT

HOC OPUSCULUM GRATUS DEDICAT

G. C.

PROŒMIUM

Nemo dubitare potest quin Nicolaus Borbonius Vandoperanus egregius poeta apud æquales habitus fuerit. In epistola quadam eum ERASMUS nuncupat *juvenem eruditissimum* : « Litteras tuas, inquit, et odas et epigrammata, quibus et græce et feliciter lusisti, legi : quibus ex omnibus quantam ceperim voluptatem nullo sermone consequi possim... Usque adeo carminum tuorum jucundissima lectione recreatus sum, ut propemodum me Erasmum esse, hoc est capularem senem, legendo obliviscerer. Cave autem tu putes hoc auribus tuis a me datum esse. Dominum Christum ad cujus tribunal brevi sistendus sum, ita propitium habeam, ut ex animo loquor. Nihil ingenio tuo, mi Borboni, felicius, nihil vena tua beatius, dictione nihil elegantius. Atque hoc meum de te judicium ab omnibus probatum iri confido, quicumque Borbonium, ut Erasmus, percognitum habuerint... »

JACOBUS TUSANUS, regius professor, Borbonii *Nugas* in lucem editas hoc hexasticho[1] salutavit :

Ite novo doctæ detersæ pumice *Nugæ*,
I liber et domini scrinia linque tui,
I; quid splendidius? quid te limatius uno?
Addere quid cultius jam nova cura potest?
In lucem livoris abi securus edacis :
Omnia (vel Momo judice) puncta feres.

1. Gallice *Sixain*. Eodem verbo utimur quo Borbonius.

Vandoperanum quoque laudavere Macrinus, Dampetrus multique alii, ut ipse testatur poeta :

Te viri magni celebrant, Macrinus,
Dampetrus, Piso, Samius, Coronus,
Sargus, Asturix aliique quorum
Nomina vivent.

Paulus Jovius in calce *Elogiorum* hunc appellat poetam « plane suavem et tenerum ». Immodicum Sanmarthani omitto judicium, qui Borbonium Virgilio fere adæquavit; sed mihi liceat Lambini, doctissimi viri sententiam hic subnectere : « Neminem nunc miraturum existimo quamobrem Nicolaum Borbonium Vandoperanum, quem ego adolescens jam grandiorem natu cognovi, qui inter ejus ætatis homines eruditos poetica laude floruit, in eorum numerum adscribam, quos lectione dignos judicavi. Quamvis enim ad illam majestatem, quæ est in Fracastorio et Vida et similibus, non assurgat : numerorum tamen facilitate et suavitate, verborum bonitate et delectu, totius sermonis nitore et elegantia proxime accedit ad antiquos. »

Obtrectatores tamen Borbonio non defuere. Nonnulli eum reprehenderunt quod fuerit totus in Nugis : inde hoc Bellaii distichon :

Paule, tuum inscribis *Nugarum* nomine librum ;
In toto libro nil melius titulo.

atque illud Audoeni :

Quas tu dixisti *Nugas* non esse putasti :
Non dico nugas esse, sed esse puto.

Severior Joseph Justus Scaliger Borbonium vocat « poetam nullius nominis. » Sed quid habet ponderis judicium hominis qui Passeratium, illustrissimum illum Borbonii popularem, ita judicavit : « Vix octo legerat libros, duo verba latina sciebat, omnes reprehendebat, non erat tantus quantus habebatur ? » Quantum intelligi potest ex *Nugarum* editionibus[1] non multum obstitit Borbonii famæ Scaligeri sententia.

Campano mihi placuit Campani poetæ opera penitus introspicere et inquirere quid valuerit homo, quid poeta, quid pædagogus.

* 1° *Nicolai Borbonii Vandoperani Nugæ, Parisiis apud Michaelem Vascosanum*; 1533 — * 2° *Nicolai Borbonii Vandoperani Lingonensis Nugarum libri octo, ab auctore recens aucti et recogniti cum indice: apud Sebastianum Gryphium Lugduni*, 1538; — * 3° Iidem, *apud hæredes Andr. Cratandri: Basileæ*, 1540; — 4° Iidem, *Venetiis*, 1554; — 5° Iidem, *Parisiis, apud Patisson*. 1577; — 6° Iidem, *Parisiis*, 1604; — 7° Iidem, *Parisiis* 1608; — 8° Iidem *Parisiis*, (*ad usum Delphini*), 1685; — 9° Iidem, *Parisiis*, Coutelier, 1723; — * 10° *Nicolai Borbonii Ferraria et Nugæ aliquot venustiores. Nova editio dimidio minor et castigatissima, emendante C. Mercerio Compendiense. Lutetiæ Parisiorum, sumptibus et typis Mercerianis anno* (1796) *Francorum reipublicæ quarto.*

Editiones *Nugarum* quibus in hoc opusculo condendo usi sumus hoc signo * discernimus.

DE VITA ET SCRIPTIS

NICOLAI BORBONII

PARS PRIMA

DE VITA NICOLAI BORBONII

I. — **De** natalibus Borbonii. — De præceptoribus ejus et studiis.

Nicolaus Borbonius Vandoperæ [1] natus est, quod oppidulum est Campaniæ. Constat ex inscriptione quadam natalem fuisse anno millesimo quingentesimo tertio [2].

Pater ejus, Joannes Borbonius, vir erat sane locuples [3], non faber ferrarius, ut quidam dixere [4], sed fabrorum dominus et ferrariæ officinæ possessor [5]. Mater, Maria Gallaria, pietate in Deum et in pauperes benevolentia insignis, sex filios moriens duasque filias reliquit [6]. Contigit et avus ei Joannes Borbonius, ingenio non

1. Gallice *Vendeuvre*, chef-lieu de canton, arr. Bar-sur-Aube (Aube).

Si quis Lingonica migrarit ab urbe viator,
Claram petens Lutetiam,
Ante Tricassinos oculis quam cernere possit
Agros amnemque Sequanam,
Vandoperam inveniet, castellum nobile Nugis
Natalibusque *Borboni*.

Nugæ, VIII, 52.

2. Vide ad finem *Nugarum* editarum apud Sebastianum Gryphium, Lugduni, 1538, hanc inscriptionem sub imagine Nicolai Borbonii insertam :

NIC. BORBONIVS VANDOP.

ANNO ÆTATIS XXXII

1535

3. *Nugæ*, II, 3.
4. Vide Baillet, *Jugement sur les Poëtes modernes*.
5. Vide poema cui titulus *Ferraria*.
6. *Nugæ*, IV, 64.

vulgari senex, cujus παρεγγέλματα seu præcepta fideliter memoria retinuit[1].

Avi diligentia ac studio secutus est primo disciplinam paternam. Inde Trecas profectus est quo facilius in litteris versari posset suumque ingenium excolere[2]. Ac mirum quam brevi tempore in bonis disciplinis profecerit : namque præceptor « cum videret Nicolaum omnibus condiscipulis præstare, puerorum aliquot æqualium curam huic demandavit, videlicet uti, eos successivis horis dum in classe docebat, doceret semetipsum. » Quinimo huic consulebat ut qui hoc ingeniolo unice delectaretur[3].

Is autem Nicolaus, cum ingenio facili, officioso animo et egregia forma foret, condiscipulos sibi conciliavit permultos; quo in numero fuit Lodoicus Dintavillus, juvenis cum doctrina et generis nobilitate, tum probitate ac morum suavitate spectabilis, quem consuetudine sua sic sibi devinxit ut nemo ei perpetuo carior fuerit[4]. Alios inter amicos cum quibus conjunctissime vixit, commemorem adhuc nonnullos adolescentulos quos fictis nominibus celebravit : Samium, Gallum, Publium et Paphium[5].

Ubi autem satis visus est navasse operam elementis, Parisios se contulit, ut litteris humanis liberius incumberet, et aliquamdiu in collegio Montis Acuti constitit[6].

1. Vide *Tabellas elementarias* : « Hæc sunt præcepta seu παρεγγέλματα quæ olim mihi admodum puerulo Joannes Borbonius avus meus, optimus senex, inculcare sedulo nunquam desinebat. »

2.
Urbs Trecæ gaudet puerum quod olim
Te sub humanis habuit magistris
Et sinu, Musis veluti dicandum,
Fovit amico.

Nugæ, VIII, 108.

3. Præfatio *Carminis ad pueros de moribus*, p. 261.

4.
Ex quo te non vidi, æstas jam septima fluxit,
O Decus, o animæ pars, Lodoice, meæ.
Nos ætate pares, nos præceptore sub uno
Præclaræ pueros erudiêre *Trecæ*.
Par facies, par forma fuit, par ardor utrique
In studiis; velle ac nolle duobus idem.
Prima elementa Trecis feliciter hausimus una,
Nostraque conjunxit pectora verus amor,
Verus amor, quem nulla dies memori eximet ævo :
Ingenium si quid Musaque nostra potest.

Nugæ, I, 115.

5. *Nugæ*, II, 177, 178; III, 42; IV, 29; VI, 19, 20, 26, 27, 50, etc.

Collusor olim qui *puerulo* adhuc mihi
Fuisti et uno in lectulo
Noctes hybernas concubuisti plurimas
Acuti Montis in schola,
Meo fuisti qui lateri junctissimus
Semper, puero comes puer,
Mi Brune, sanguinem, nedum pecuniam,
Pro te libenter funderem.

Nugæ, VIII, 111.

Non arrisit sane locus ille nec vitæ genus, cum pisce putrido ovisque corruptis, Erasmo si creditur, discipuli alerentur scholaque exirent « onusti non litteris, vero pediculis. » Quam ob rem reversus est in patriam. Et cum, in hac tenera ætate, summa voluntate et gratia teneretur componendis versibus, ab eo studio parumper retractus est parentum monitionibus qui monere illum assidue et hortari non desistebant ad artes utiliores, ut quæ ad quæstum et opes comparandas magis intenderent [1]. Sed, cum agendis causis minime idoneum se videret, ac medicina mercaturaque displicerent, in suo instituto perstitit ac totum se dicavit poeticæ facultati, unde singularem famam sibi fore sperabat.

Ausus erat, dum in schola assidebat, carmen inchoare de puerorum moribus, sed cum tantæ materiæ se imparem sensisset, manum de tabula tollere maluerat quam periculoso argumento diutius immorari [2].

Scripsit et, annos quatuordecim natus, poema cui titulus *Ferraria*, in quo Vandoperam suam artemque paternam hexametris versibus celebravit. Ac mirum quam copiose, quam eleganter materiam tam arduam ac jejunam tractaverit. Hoc opusculum ad Georgium de Quarlecoio [3], Ricæi [4] toparchum, consecravit. Nam quid valent poetæ sine Mæcenatibus?

Sollicitavit et patrocinium Georgii de Ambasia [5], illustrissimi herois, qui in matrimonium duxerat Antoninam de Ambasia, dominam Vandoperæ. Mæcenati suo apud Ticinum [6] in acie occiso ferali cantu parentavit. Novum autem Antoninæ maritum, Antonium de Barbesio [7] grato faustoque carmine salutavit : huic se totum addixit et in numero famulorum adscribi voluit [8].

Nec Dintavillos [9] neglexit, Lodoicum, equitem Rhodium, cujus

1. Quod his versibus *Ferrariæ* clarissime apparet :

> Ah! miserum puerum atque infausto sidere natum!
> . . . .
> Cur non Hippocrati, cur non das legibus amens
> Humanis operam ut possis evadere dives?
> Vivere securus, preciosa veste nitere?
> O me infelicem puerum quem nulla cupido
> Vexat opum, quem nullus amor sceleratus habendi
> Sollicitat..........

2. Vide præfationem *Carminis ad pueros de moribus.*
3. Gallice, *de Créquy.*
4. Gallice, *Les Riceys*, ch.-l. de canton, arr. Bar-sur-Seine (Aube).
5. Gallice, *Georges d'Amboise.*
6. Gallice, *Pavie.*
7. Gallice, *Antoine de la Rochefoucauld, seigneur de Barbezieux.*
8. *Nugæ*, I, 223.

> . . . .
> Ecce tamen totum tibi me, vir maxime, dedo.
> Dum vivam, in famulis me numerabo tuis.
> . . . .
>
> *Nugæ*, I, 224.

8. Gallice, *de Dinteville.*

quondam fuerat condiscipulus, et illius fratrem, Joannem, Polisii [1] toparchum, Trecarum urbis prætorem amplissimum, cujus in Campania multum valebat auctoritas [2].

Accidit eo tempore ut, incensa ferraria, res paternæ prope eversæ fuerint. Quem casum tulit Nicolaus, more poetarum ; nam, in tanta jactura, versiculos amissos « hæc ætatis teneræ monumenta suæ » solum dolebat ac deflebat [3].

Borbonius enim, quamvis Vandoperæ usque ad id tempus placide traduxisset vitam, mœrebat suam laudem, velut in herba vel flore præceptam, ad nullam certam et solidam pervenisse frugem. Itaque parum se utilem parentibus, imo gravem et onerosum advertens, impetrata facultate, Parisios venit studiorum causa anno circiter MDXXX.

Multum enim aberat ut Borbonius qui linguam græcam nondum callebat vir perfectus et absolutus inter æquales haberi posset; nam, ut ipse fatetur,

> ... Barbaries toto regnabat in orbe,
> Me puero, et græce discere crimen erat [4].

Ubi Parisios venit, cum Tusano congredi voluit, populari suo, qui regis Francisci beneficio, in collegio Trilingui nuper fundato, utramque linguam profitebatur. Sed cum esset timido atque humili

1. Gallice, *Polisy, arr. Bar-sur-Seine* (*Aube*).

2.
> Etsi immerito raptum tibi funere fratrem
> Annos jam totos lugeo quinque miser,
> Fratrem, inquam, o heros, Lodoicum cujus imago
> Quotidie ante oculos itque reditque meos :
> Adventu tamen ecce tuo recreatus et ore,
> Me spe fortunæ prosperioris alo.
> *Te Mecœnatem mihi, te mihi spero patronum,*
> *Te vice defuncti fratris habere volo.*
> Namque mihi quid non generoso pectore ab isto
> Pollicear ? quid non a pietate tuâ ?
> Sis salvus : carmenque meum lege fronte serena,
> Meque tuos inter scribe tuumque voca.
>
> *Nugæ*, VII, 135.

3.
> Ergo' ne sic flammis nostri periere labores,
> Ætatis teneræ tot monimenta meæ ?
> Librorum bona pars flagravit mane meorum,
> Terribili patrios igne vorante lares :
> Argentum, lectos, pecudes, aulæa, tapetas,
> Resque alias, longum dicere cuncta foret.
> Set terrenorum levis est jactura bonorum,
> Reddere quæ tempus sedulitasque potest.
> Versiculi nostri, nostræ periêre lucernæ,
> Spes omnes et opes, deliciæ et Veneres.
> Ah ! nimium verus, parvo indice, parve libelle, es
> Testis, te magna parte carere tui.
> . . . .
>
> *Nugæ*, II, 56.

4. *Nugæ*, V, 115.

animo, tanta eruditione virum, ut ipse narravit, adire aliquantisper dubitavit :

Visere te toties volui, set me usque moratur
  Hic, Tusane, pudor cumque pudore timor.
Quem non virtutum lux terreat ista tuarum?
  Doctrinæ quem non inclyta fama tuæ?
Publice enim linguam profiteris utramque favore
  Regis, et hoc mira dexteritate facis.
Tu patriæ nostræ, quam claram reddis et ornas,
  Gloria, tu sæcli diceris hujus honos.
O me felicem nimium, mea si bona norim,
  Qui sedeo auditor discipulusque tuus !
Aonidum veluti sacro de fonte sororum,
  Quanta tuo nobis commoda ab ore fluunt?
Quæ tibi pro meritis referetur gratia tantis?
  Præmia quæ possim reddere digna tibi?
Nempe miser, satisque diu vexatus iniquis,
  Quem tetigit cæcæ fulmen et ira Deæ.
At quamvis jaceam obscurus, sim vilior alga,
  Sim nihil, ingrati nolo subire notam.
Noctes atque dies, ut te pia numina servent,
  Assiduas, imo pectore, fundo preces.
Dicere quæ nollem præsens, Tusane, nec ausim,
  Perfricta facie, scribere jussit Amor :
Et puero commissa tuo est, quam perferat ad te,
  Charta loquax, digitis præcipitata meis [1].

Tusanum igitur cum ex admiratione diligere cœpisset Borbonius, magis admiratus est (quod evenire contra solet) postquam penitus inspexit. Inspexit enim penitus : nam intra brevissimum tempus, quæ res manifeste judicatur ex ejus versibus, cum illo multum et familiariter egit [2]. Ipse, licet « obscurus et vilior alga » cum honore atque etiam (audebo dicere) reverentia, ut æqualis, a Tusano habebatur [3]. Haud mirum est Borbonium sub homine, qui principem locum inter græcos grammaticos tenebat, in græcis disciplinis brevi profecisse.

Quamdiu Parisiis studuit, non aliter vixit atque hujusce temporis scolares, id est dure ac precario. Nihilo tamen, ut ipse fatetur, pejus concoquebat; nihilo irrequietius dormiebat. « Abunde enim dives est, aiebat, qui sua sorte contentus est. » Utut res erant casuræ,

1. *Nugæ*, I, 140.

2. Vide Carmen (VII, 65) : *Ad Musam et Cupidinem de Jacobo Tusano præceptore rusticante.* — Plures etiam invenias apud *Nugas* id genus schedulas ad Tusanum :

En tibi caseolum mitto, munuscula nostræ
  Matris, qualia dat Vandoperanus ager.
At cibus hic (inquis) cœpit mihi noxius esse,
  Et medicis credam, propterea nec edam.
Ut nec edas, nec ames, at certe apponere amicis
  Aut pueris, ne sit muribus esca, potes.

Nugæ, II, 64.

3. *Nugæ*, I, 141.

sperabat, imo certo sciebat « Patrem suum cœlestem ipsi non defuturum in tempore, qui ne pullos quidem corvorum a parentibus derelictos sinit perire fame [1]. » Nec Maria Gallaria mater filium suum absentem deserebat ; nam, si quemquam Vandoperanum nancisceretur qui Parisios veniret, cibaria, indusia linea, tunicas, pileos multaque alia ad Nicolaum suum perferenda curabat.

Non tamen operæ parcebat Borbonius ut sibi mox nonnihil adfulgeret spei fortunæque melioris. Ambibat, circumibat viros nobiles quos sui studiosos videbat, partim Guillelmum Mainum qui in familia agebat Jacobi Galeotti de Ginaliaco, magistri equitum [2], partim Coronæum, hominem eruditissimum, qui magno in honore erat apud Franciscum Turnonium, pontificem purpuratum, ejusque nepotes, Carolum, Jacobum et Justum [3]; atque ita enixus est ut tandem in domum Caroli Turnonii, Vivarensis archipresbyteri episcopique designati, tanquam amanuensis, cooptatus sit [4].

II. — De Borbonii peregrinationibus.

Ex ea die Borbonius vagatus est incertus huc et illuc, more medii ævi joculatorum, pergens quocumque vocabat patronus spesve patroni, modo hospes aut famulus divitum, modo scriba aut pædagogus, pinguis interdum et bene vestitus, jejunus plerumque et pannosus. Ubi Mæcenas sordebat aut disciputi deficiebant, totam domum equo componebat uno, sacculum scilicet, manticam et libros [5], et peregrinabatur in alias regiones, non semper sine periculo ; nam viæ erant arduæ, cœlum nonnunquam nubilum et ventosum, equus ferox et calcitro. Die quadam, non procul abfuit quin in Rhodano, apud Condriam urbem, mersus aquis mortem occumberet. Quem quidem

1. Epistola ad Stellam in principe *Nugarum* editione; Trecis, 1532.
2. Gallice, *Galiot de Genouillac, grand maître de l'artillerie.*
3. Epistola ad Stellam.

4.
Salve, pontificum certissima gloria, Carle,
    Carle, decus musæ præsidiumque meæ...
Me sæpe et juvenem et tibi scribere multa parentem,
    Virtutis fulgor terruit ille tuæ.
Obstupui et tantum dubitavi culmen adire,
    Pauper, et obscurus nullaque dona ferens.
At tua me pietas postquam collegit *et esse.*
    A studiis voluit consiliisque tuis,
Paucula mox alacer collegi epigrammata nostra,
    Relliquiasque quibus flamma pepercit edax :
Nam bona pars periit, patrias quum nuper in ædes
    Sæviret Veneris virque satusque Jove.
Quod superest mitto : gratum accipe, præsul, et istis
    Expecta meritis munera digna magis.
Sunt Nugæ, sunt ingenii præludia nostri :
    Qui nihil incæptat, finiet ille nihil.

Nugæ, II, 61.

5. *Nugæ*, VIII, 5.

casum omnibus ex partibus in *Nugis* enarravit [1]. Alia die ex equo ita excussus est misere, ut crus fere sibi fregerit [2]. Hanc vitam, casuum quidem plenissimam, non tamen omnino injucundam habuisse videtur Borbonius; namque mira erat in eo rerum omnium curiositas et indagatio. Quæ quidem sæpius e variis nugarum locis apparent. Dum equitat, sublimia spectacula quæ sunt sub oculis subjecta contemplatur et intuetur : *fluctus et vim miratur aquarum;* suspicit nubilum cœlum tempestatemque venientem.

.... Stupet concussus et horret,
Dum furit horrificis agitatus flatibus aer
Et sternit segetes, vellit radicitus ornos,
Et glomerat densas immani turbine nubes,
Æquora et fluvios vexat sævoque boatu
Mortales omnes et murmure territat orbem [3].

Nec aspectu montium Allobrogum minus movetur :

Liquimus et ripam Rhodani camposque virentes,
Desertam petimus terram præruptaque saxa,
Sunt ubi inaccessi montes vastæque cavernæ,
Et rap dus torrens, qui saxa immania torquet,
Præcipitesque trahit quercus, turresque gregesque.
Ventorum hic rabies, nix alta æternaque bruma,
Hic gens non hominum degit, set more ferarum [4].

Et in ipso itinere magna industria indagat et consectatur quidquid ad litteras aut ad historiam pertinere videtur, latinas inscriptiones, numismata eximiæ notæ eaque omnia quæ grata esse solent homini cuilibet antiquario rerumque priscarum admiratori. Sic in quadam epistola [5] non sine voluptate commemorat se duo saxa vidisse; unum apud Turnonium in pariete insertum ædiculæ, in vineis secundum Rhodanum sitæ; alterum in suburbanis Valentiæ, in æde Felicis; utrumque pulcherrimum et latine antiquissimis characteribus inscriptum [6].

1. *Nugæ*, II, 174.
2. *Nugæ*, VIII, 5.
3. *Nugæ*, II, 174.
4. *Nugæ*, II, 114.
5. Nicolaus Borbonius Porcinio suo in editione principe *Nugarum*.
6. Sic Turnoniam inscriptionem transtulit :

IMP. CAES. DIVI
TRAIANI PARTHICI
FIL. DIVI NERVAE
NEPOTI TRAIANO
HADRIANO AVG.
PONTIF. MAX. TRIB.
POTEST. III. COS. III.
II RHODANICI
INDVLGENTISSIMO
PRINCIPI

Si forte audiebat quamdam esse in propinquo splendidissimam domum et in ea sedere illustrem ac non illiberalem dominum, huc statim flectebat, versiculos inter equitandum meditans; nam hospites suos dono nonnullorum versuum pendere solebat. Sic nobilissimo viro, L. Gryniano [1], hospitium solvit hoc tetrasticho quod ad effigiem solis in aulæis Grynianæ domus inscriptum est :

Illustrat radiis totum Sol igneus orbem :
  Ille tamen tempus quo tenebrescet, erit.
At Christus, qui vera Dei stat patris imago,
  Solus hic æterni lumina solis habet [2].

Galliam ita totam perlustravit poeta noster, modo Vandoperanus et Trecensis, modo Vivariensis, Turnonensis aut Valentiniensis, modo Parisiensis aut Lugdunensis. In Angliam quoque transiit atque ibi complures menses domicilium suum constituit; nam quid juvat patria, cum crumena negat ?

Vandopera una unum cur me mea jactat alumnum ?
  Πᾶσ' ἐμοι ἔσθ' ἥτις γαῖα τρέφει με πατρίς [3]

Longius et amplius etiam peregrinasset, si peregrinabundum quemdam offendisset patronum :

Huc, illuc, quo non? Trans Alpes transque Pyrenem
Occiduam, auriflui qua micat unda Tagi :
Rursus in Helvetiam et Germanæ gentis ad oras,
Trans Rhenum et citra : quidquid et inde patet [4].

Quanto vero libentius Italiam et Romam invisisset! sed id ei petenti fortuna semper negavit.

Valentina talis erat :

MEMORIAE AETERN.
PETRONI CASTI VET.
MISSI HONESTA
MISSIONE EX LEG.
PRIMVM MIN. EX OPTIO
NE PROC. DVCE NARB.
ET VITALINIAE FLORAE
CONIVGI EIVS
VIVI SIBI PONEND.
CVRAVER. ET SVB
ASCIA DEDICAVE
RVNT

1. Gallice, *de Grignan.*
2. *Nugæ*, II, 116.
3. *Nugæ*, III, 65.
4. *Nugæ*, VI, 60.

O felix Chorro, quem constat visere Rhomam,
Me miserum! vellem quem comes ire tibi!
Tu solium Petri cernes sanctumque Sepulchrum,
Atque tuis pedibus tot loca sacra teres :
Denique Pontificis coram venerabere numen,
Cujus vel reges oscula dant pedibus[1].

III. — Borbonius Caroli Turnonii hospitio utitur. — J. Ginaliaci fit præceptor. — In carcerem conjicitur.

Caroli Turnonii patrocinio usus est, anno circiter MDXXXII, nec eum pœnituit tantam in clientelam receptum fuisse; nam præsulis benevolentiam ac comitatem ita expertus est, ut brevi eum appellaverit *suarum curarum requiem*, *suum noctis in umbra lumen*, *capiti suo gratam coronam*. Sive Turnonii, sive Vivarii consideret, utriusque oppiduli sedem primo quoque tempore gratam habuit atque ad ipsum herum scribebat :

Tecum in desertis possim bene vivere sylvis,
Tecum pro magna rus erit urbe mihi[2].

Sed paulatim miro desiderio flagravit tum revisendæ urbis, cum famæ suæ apud eruditos condendæ. Nam cum nonnulla ex ejus epigrammatibus quæ ipse inter otia luserat, ab hominibus probatissimis honorifice fuissent accepta[3], in animum sibi induxerat Nugas illas multasque alias « quibus olim ætatulam ludibunda et poetica impetigine jam tum prurientem ludificatus erat[4] », collectas, retractatas transcriptasque typis mandare. Parisiios igitur reversus est cum bona venia præsulis, cujus ad imum gratiam ac favorem retinuit[5], atque eodem anno MDXXXIII, principem Nugarum editionem apud Michaelem Vascosanum edidit.

Eo tempore, Jacobus Galeottus de Ginaliaco, Maini credo commendatione, filium Joannem, generosissimum adolescentem omni-

1. *Nugæ*, ex editione principe.
2. *Nugæ*, I, 132.
3. Epistola ad Stellam, in editione principe. — Vide etiam epistola Carini ad Borbonium.
4. Epist. ad Stellam in editione principe.
5. Anno circiter MDXXXVI ad Carolum scribebat :

Et *memorem nostri esse scio te*, Carole, semper :
Et bene Borbonio te scio velle tuo.
Et licet in vulgum mendacia spargere rumor
Gaudeat, usque manet mens tua firma tamen.
Semper honorifice de nobis, Carole, sentis,
De nobis loqueris semper honorifice.
Quare ego, qui ingrati nomen, cane pejus et angue,
Odi, te his oculis, Carole, gesto meis.
Tu mihi in his hæres, domus et tua tota, medullis,
Eripere hanc mentem mors mihi sola potest.

V, 100.

busque animi ac corporis dotibus præditum[1], Borbonio commisit educandum; sed cum timere videretur ne Joannes suus domi minus proficeret, quam si publice institueretur, hunc tanquam cameristam in collegium Bellovacum, Borbonio pædagogo, misit[2]. Nil dubium est quin novus præceptor maxima cura ac diligentia discipulo suo consuluerit animumque illius virtute ac litteris ornaverit[3]. Sed unde factum est ut, laudibus in Ginaliacos aliquandiu profusis, silentium subito fecerit? Valde suspicor Borbonium, qui se primum lauto atque opimo stipendio donatum iri speraverat[4], cum honesto munere se fraudatum videret, alio suas laudes grammaticalemque scientiam detulisse.

Interea Borbonius, sive fama ejus usque in Angliam jam percrebuisset, sive potius gratiosissimos sibi conciliavisset patronos qui apud Henricum VIII maxime valebant, in Angliam adscitus est ut tres nobilissimos juvenes, Caræsium, Noresium, et Harvæum, in artibus ingenuis erudiret.

Ad iter accinctus, viaticum omne sibi comparaverat. Pecuniæ nescio quid habebat in arca libraria, habebat et indusia linea aliquot, munuscula matris suæ, et thoraces duos, tunicas tres, pileos aliquot, lectulum portatilem perelegantem, lusciniolam in caveola suavissime modulantem, par crepidarum et manicarum, citharam bene canoram et ab amico haud vulgari dono datam, nomismata aliquot ærea et argentea eximiæ notæ et pervetustæ. Sed ecce lictorum apparitorumque turba, domicilio suo occupato, in ipsum irruerunt et inopinantem in carcerem conjecerunt. Hæc omnia flagitiosorum nebulonumque prædæ fuerunt atque ita periit paulo momento quidquid ex benignitate quorumdam illi accesserat[5].

1. Sic juvenem Galeottum laudebat Borbonius :

> Imberbis juvenis, multo pretiosior auro,
> Virgineus tenero cui sedet ore pudor :
> Qui sacra Musarum veneraris amasque poetas,
> Carmina qui cantas ut moribundus olor :
> Omnes qui pulchris animos accendis ocellis
> Nobile qui niveo pectore vincis ebur :
> Vivere Dii tibi dent multos feliciter annos,
> Et primum Jani sæpe videre diem.

2. Vide Epistolam Borbonii ad Porcinium, in editione principe.

3. « Hunc juvenem si nobis Superi incolumem conservaverint et eo pede quo cœpit in studiis, te duce, perrexerit, futurum est brevi, ut ad utriusque linguæ fastigium ad quod plenis velis nunc contendit perveniat longeque illustrior eruditione, genere licet clarissimus sit, evadat. » — Epistola Carini ad Borbonium. In edit. principe.

4. « Quem tibi, favore Superum, Mæcenatem contigisse dici non potest quam gratuler, quod sperem, quemadmodum tu animum illius virtute ac litteris ornas, *ita ipse te sit ornaturus lauto ac opimo sacerdotio...* » Epist. Carini ad Borbonium.

5. Epistola Londini, 1535. — *Nugæ*, lib, VII.

Quibus de causis in carcerem conjectus fuerit nihil omnino enucleate aperuit Borbonius. Se fuisse extra culpam contendit :

> Nullius sceleris caussa, sed crimine falso
> Quorumdam, atque odio carcere clausus eram[1].

Invidos semper incusat :

> Insontem quamvis, me in carcere livor habebat,
> Jamque neci dandus, more nocentis, eram[2].

Et alicubi instillare videtur se propter nimium in renascentes litteras amorem fuisse vexatum :

> Qui tam multa tuli usque adhuc, et ecce
> Qui tam multa fero et feram libenter
> *Renascentium amore litterarum*[3].

Quæ forsitan causa fuit quare includeretur; nam in versiculis aut in epistolis homines vehementius lacesserat, qui politiores litteras inprimisque græcas oderant et clamitabant hostem esse christianæ religionis quicumque græce studeret aut loqueretur, Bedam[4] scilicet, aliosque barbaros quos fictis nominibus Grondillum, Glosserionem, Hugonem, Rabellum vocaverat.

Ii sane, ultionis causa, cum Lutherana hæresis magnos quosdam viros fere infecisset, Borbonium eadem quoque exarsisse flamma contenderunt, et, quamvis ipse suspicionem illam plurimis in locis operum suorum removeret, hunc arguerunt hæreseos forsitan quia, Erasmiano more, parum honorifice de monachismo dixerat[5] et familiariter utebatur Maroto, Sturmio aliisque viris qui a vera religione desciscere videbantur[6].

Cum se tenebroso in carcere clausum vidit humanaque ope omni destitutum, cum grege sontium qui jam carnificem timebant, crucem et quidquid supplicii ultimi erat[7], horruit et cœpit ejulare. Ecquod tantum malum erat quod in ejus calamitate non foret? Poterat oblivisci qui nuper fuisset? non sentire qui nunc foret? qua careret gloria? quo munere? quo honesto victu? quibus amicis? quibus discipulis?

Nec ejus molestiis sopor quidquam intercapedinis ferebat; nam ei dormienti mures arrodebant et pedes et manus[8]. Tunc ad Deum versus cœlestem imploravit opem :

1. *Nugæ*, VII, 119.
2. *Nugæ*, VIII, 10.
3. *Nugæ*, VIII, 15.
4. *Nugæ*, VII, 45.
5. *Nugæ*, I, 149, 216; II, 94; IV, 12; VIII, 153.
6. *Nugæ*, II, 7, 102; VI, 53, 54, etc.
7. *Nugæ*, VII, 89.
8. *Nugæ*, VIII, 7.

Nihil meus sine te potest
Hostis; hic tibi, non mihi
Vult male : hic, veluti leo
Rugiens, animam meam
Percupit laniare [1].

Nec incassum precatus est; nam per somnum audire sibi visus est Christum ita loquentem :

Carceris nil te moveant tenebræ
Nec gravis pædor, rigidusque custos :
Mox dabo finem, et meminisse
Ista juvabit.

Crede, credendo superabis omnes
Sæculi pestes, stygiasque larvas,
Nec tibi regis pietas, nec aura
Prospera deerit;

Aura qua fretus, poteris canendo
Vel Linus quicquid potuit, vel Orpheus,
Vel nepos quicquid potuisse virga
Fertur Atlantis [2].

Hac spe recreatus, omni studio atque opere elaboravit ut quam citissime liberaretur ; nec stylo quidem et atramento pepercit, nam amicos et præsules, et magistratus, et regem et reginam tot versibus ac precibus circumiit [3], ut tandem a principe jussum venerit captivum emittendi. Sed Rhadamantus, qui prædam sibi præripi ægre patiebatur, eluso regis mandato, Borbonium clausum retinuit. Inde novi gemitus et novæ preces :

Jussisti ut liber fierem, rex optime, set cui
Jussisti, nondum paruit ille tibi.
Quare tu potius vitæ me redde priori,
O rex, insontem; quod potes, oro, velis [4].

Rhadamanto tamen necesse fuit imperanti parere regi.

Ubi se extrinsecus vidit, præ gaudio versus effudit poeta noster, quos ad principem misit, ut quam gratissimus cognosceretur [5].

1. *Nugæ*, VII, 108.
2. *Nugæ*, VII, 96.
3. *Nugæ*, VII, 90, 98, 99, 100.
4. *Nugæ*, VII, 94. — Vide etiam versiculos quos ad cardinalem Lotharingum, heroa humanissimum, scribebat (VII. 101).

5. Cervus ubi evasit laqueos in cornua surgens,
Insidiasque hominum lusit et ora canum,
Victor tuta petit loca, amore quietis, et illic
In medio optatis fonte potitur aquis :
Sic ego, sic, o rex, o clementissime regum,
Effugi auxilio vincula dura tuo.
Insontem quamvis, me in carcere livor habebat :
Jamque neci dandus, more nocentis, eram,
Sicut ovis quondam cultro jugulanda, vel agnus,
Aut vitula ad sacros hostia rapta focos.

IV. — Borbonius in Anglia præceptoris officio fungitur. — In Galliam reversus Lugduni sedem constituit.

Illi vero multum fuit æstuandum ac versificandum, ut, rebus suis direptis ac dispersis, viaticum aliud sibi compararet [1]. Sed versiculis divites quosdam homines ita delinivit ut bene nummatus in Angliam tandem navigare potuerit.

Non dubium est quin juvenes fidei commissos pro virili sua parte honestis cum moribus tum bonis litteris instituerit : nam in quodam carmine sibi gratulatur illos fecisse doctos, pios et graves [2] ; sed, quantumvis effecerit in docendo, hunc valde suspicor multo meliorem fuisse aulicum quam præceptorem. Quem enim rogo inter primores Angliæ ore pleno non laudaverit? — Regem et reginam ; — Thomam Crammarum, Cantuariensem antistitem ; — Cramoellum, virum clarissimum ; — Dominum Latimerum, præsulem eloquentissimum ; — Joannem Dudlœum Henricumque Cnevetum, britannicos nobiles viros ; — Vuillelmum Bostonum, Wuestmonasterii cœnobiarcham ; — Berteletum, regium in Anglia bibliopolam ; — Cornelium Heyssum, regium aurificem ; — Vuillelmum Buttum, regium medicum ; — Hansum Ulbium [3] et Georgium Reperdium regios pictores.

Nec opera et impensa periit : nam Borbonio regina « ampla larga dona dedit manu », et Bostonus « ingentem pateram, argentum tornatile », et Dudlæus misit « liquidi dolia vini, gignit apud Celtas quale benignus ager » ; et Berteletus « obtulit libere et gratis libros ac, si vellet, pecuniam », et Hansus pictor illius lineamenta penicillo effingere voluit [4].

At nunc, o princeps, vinclis elapsus ab illis
Gaudeo, subque tuo nomine, tutus ago. *Nugæ*, VIII, 10.

Gratias etiam egit mirificas Annæ Bolenæ, Anglorum reginæ cujus intercessione se liberatum suspicabatur (*Nugæ*, VII, 119).

1. Ad te confugio supplex, ego vincula passus,
O decus, o populo præsul amande tuo ;
Omnino exhaustum est longo mihi carcere corpus :
Visendus pater est, est et emendus equus.
Eximere his curis me parva pecunia posset,
Et facere, ut videar liber, ut ante fui.
Quare aliquid numeres, oro, saltem ejus amore
A quo merces est certa reposta tibi ;
Nempe ab eo qui se pro nobis tradidit ipsum,
Nos faciens summo vascula digna patre.
Nugæ, VIII, 4. *Ad Guillel. Mainum.*

Similiter precatus est Cardinalem Bellaium (VII, 112) et Georgium pontificem Rutenorum (VIII, 14).

2. *Nugæ*, V, 22.

3. Gallicè *Holbein*.

4. Dum divina meos vultus mens exprimit Hansi,
Per tabulam docta præcipitante manu,
Ipsum et ego interea sic uno carmine pinxi :
Hansus me pingens major Apelle fuit. VI, 12.

Sed licet in dies regis Henrici VIII « humanissimi principis » et reginæ, uxoris ejus, benignitas erga ipsum cresceret, revisendi patrem patriamque vehementi desiderio ardebat, ut apparet his ejus versibus ad amicum :

Quod si regia me in meam reverti
Majestas patriam sinet, libenter
Tecum (si pateris) renavigabo :
Illuc, ut cupidum mei parentem
Consoler, patruumque amiculosque,
Qui nunc me veluti in maris profundo
Mersum gurgite mortuumque lugent[1].

Hæc verba quidem honesto ac sincero corde manare videntur, sed magis credere libet alia causa Borbonium ad patriam suam revisendam fuisse perductum. Vidit profecto exquisita tormentorum genera quibus « rex ille humanissimus » homines a se dissentientes excarnificabat. Vidit et forsitan Annam reginam, heram suam, e solio deturbatam et morti reservatam. Haud mirum ergo quod, cum in tanta barbarie ac casuum varietate versaretur, crudeles terras feramque gentem fugere voluerit. In epistola quadam ad Stellam amicum[2], satis aperte declaravit quantum has iniquitates immaniaque illa supplicia horruerit. Narrat enim se in quadam insula, cujus nomen sciens prudensque omisit, adversa tempestate compulsum, aliquot egisse menses ibique se ipsum ea oculis perspexisse : « Homines XIIII conjecti sunt in carcerem : in quibus erat mulier forma pereleganti. Fama erat eos omnes frugi quidem esse homines et inculpatæ vitæ : sed nescio quid in primores ejus gentis liberius dixisse. Quid multa? Judex, homo adspectu truculentissimus uno die omnes morti destinat. Captivi miselli ducuntur ad supplicium, ridentes interim mentemque suis interfectoribus meliorem precantes Tandem quidam eorum caudis equinis alligati, per spinas et vepreta, per saxa, per præacutas ac præustas sudes, quæ passim in hoc terræ infixæ fuerant, raptabantur : atque ita animam agebant. Alii saxis veluti molaribus adstricti e sublimi ponte in vastum gurgitem præcipitabantur. Sed paulo post quam lata esset a judice sententia, aiebant unum ex damnatis in hunc modum exclamasse : « In cœlum per equos ibimus? an per aquas? » Mulierem autem de qua supra memoravi, cum distracta non moreretur, indignatus carnifex, palo in ventrem adacto, terræ affixit. Longum esset recensere exquisita tormentorum genera, quibus gens illa barbara homines excarnificabat : sicuti sacrificus quidam insularis, utcumque latine loquens, nobis significabat.

« Et quamquam ab hac commemoratione jamdudum horret animus, referam tamen quod ipse oculis vidi, exemplum inusitatæ crudeli-

1. *Nugæ*, VII, 40.
2, *Nugæ*, V.

tatis. Jacebat vivus homo, resupinatus, nudus, bracchiis tibiisque nervo districtis, in moremque crucifixi distentis. Carnifex super accumbens cultro pectus aperuit cruentaque manu abstractum cor videndum porrexit morienti, deinde hepar cæteraque præcordia, ac postremo virilia amputata objecit similiter. Diceres Rhadamantos, Nerones, Dionysios, Phalaridas præ illis homines fuisse mitissimos. Unde Virgilianum hemistichion mecum sæpe mussito :

... Satis est gentem effugisse nefandam.

Si quis amicorum illuc vellet proficisci, eum ita dehortarer :

Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum.

Gratulor nobis Gallis, gratulor Britannis [1] et Scotis, gratulor cæteris vicinis nationibus apud quas mos est longe humanior animadvertendi in sontes. »

Sub finem anni MDXXXV, dum Londini ageret, accepit obiisse patrem Joannem, quem jam anno MDXXXIII quasi defuctum immature defleverat [2].

In Galliam reversus, hoc epitaphium patrio et avo mœrens posuit.

Hac duo Joannes sub humo post fata quiescunt
Una Borbonii, filius atque pater.
Ornavit, meritis, fama, pietate, suos et
Sæculum uterque suum, Vandoperamque suam.
Nemo fleat tales : cur? quæ cupiere per omnem
Vitam cum Christo regna tenere, tenent [3]?

Nec paulo post de vita decessit mater ejus, Maria Gallaria quam non minore luctu prosecutus est, ut constat ex novo epitaphio [4].

1. Britannorum nomen hic prudenter inseruisse videtur Borbonius, fallens ita legentem, ne forte apud Anglos amicos immodicæ linguæ pœnam lueret. Illud quoque notandum est nec diem nec locum huic epistolæ fuisse adscriptos.

2. In editione principe *Nugarum*, 1533.

3. *Nugæ*, IV, 62 — Obiit pater annum agens LXXXIII, anno salutis, MDXXVI. — Obiit filius annis XV patre minor, anno Domini MDXXXV.

4. Viator sta, sacer est quem pulverem vides.
Hic fœmina est humata, fœmina omnium
Quas Vandopera unquam Lingonum ferax ager
Tulit, cultissima et relligiosissima, et
Quæ dicta mater egenorum vulgo fuit,
Honesto nata loco, Maria Gallaria.
Hæc Borbonio conjunx Joanni patri
Meo, gravi et severo et inclyto viro,
Sex filios moriens duasque filias
Reliquit. O nos talibus parentibus
Olim beatos nimium : o nunc miserrimos,
Queis Parca maligna et immitis, utrumque abstulit,
Adhuc rerum imperitis adolescentulis!
Sed ambo apud manes quiescant molliter,
Collusitentque tuti ab Orco lurido,
Prolemque votis adjutent suam piis.

Nugæ, IV, 64.

Vandoperæ aliquantisper moratus est, rei familiari tantum operæ dans quantum non indiligens paterfamilias, nam, ut ipse fatetur, multum egit cum fratribus, multum sudavit ne quis suo jure fraudaretur [1].

Et cum Trecis, Pithoo et Alneto [2], amicis non vulgaribus, uteretur, hanc urbem identidem venit ibique scripsit, mense sept. MDXXXVI, epistolam suam liminarem *carminis ad pueros de Moribus*, quod eodem anno Lugduni apud Gryphium edidit [3]. Sedem enim in hac urbe habebat mense octobri, ut testatur epistola ad Vuillelmum Bostonum.

Verisimile est Borbonium Lugduni docuisse majore fama quam emolumento; namque de sua paupertate, in nugis et in epistolis, continuo queritur [4]. Consuetudines tamen fecerat cum prædivitibus hujusce urbis hominibus : Thoma Gadagnio, viro modis omnibus clarissimo, qui « ingentem egregiamque domum, ubi curabantur qui peste laborabant, Lugduni ædificaverat [5]; » — Paulo Antonio Gadagnio summæ spei adolescente; — domino Joanne Vauxello, viro existimatissimo; — Joanne Duperatio suppræfacto Lugdunensi; — Claudio Dodiæo, viro summa existimatione prædito; — Tignatio judice, etc.

Amicos quoque habuit in eadem urbe Mauricium Scævam, haud vulgarem poetam; Vuillelmum Paradinum eminentem historicum; Joannem et Franciscum Frellæos, germanos fratres, bibliopolas; Sebastianum Gryphium, clarissimum typographum [6].

1. *Epistola ad Bostonum, Nugæ,* II. — In rebus paternis dividendis a fratre Joanne Borbonio, prætore Musseio, natu maximo, abalienatum fuisse videtur, si carmini stamus, *Ad fratrem iratum,* VII,83.

2. Gallice, *Pithou* et *de Launay*. — *Nugæ,* IV, 87, 114; V, 56. — Sic laudavit Pithoum (VIII, 99).

> Quæ sub labellis sessitat Pitho tuis
> Nomen tibi istud indidit.
> Leporis est domina illa et flexanima Dea,
> Cui docta Pallas it comes :
> Quam Gratiæ comitantur et decens Venus,
> Et candidi cupidines :
> Quam Musæ amant sororemque suam appellitant :
> Felix es isthoc nomine.

3. *Opusculum puerile ad pueros de moribus*, Lugduni, Gryphius, 1536, in-4°. (Bibl. nat.)

4. « Quantum attinet ad meam conditionem, ea est adhuc qualem esse nolo; nempe nulla. » Epist. ad Stellam.

5. *Nugæ,* VI, 35; VII, 80; VIII, 12.

> Tu, pie Gadagni, communes natus ad usus,
> Ingentem ædificas ægregiamque domum,
> Quo migrent, ubi curentur qui peste laborant... VIII, 12.

6.
> Sunt hodie multi et (Superis sit gratia) docti
> In Gallia typographi :
> At merito in tanta palmam sibi vindicat arte
> Sebastianus Gryphius.
> Quippe fides cujus, pietas, solertia vivit
> Ubique clara gentium. *Nugæ*, VIII, 27.

Quantum ex ipsa Nugarum lectione conjecturam facimus, nemo erat inter viros in re litteraria illustres qui ejus consuetudinem et amicitiam non ambiret : tantum nominis apud eruditos erat consecutus. Honorifice habitus est ab Erasmo qui ei scribenti longam epistolam rescribere non dedignatus est [1]. Familiariter etiam egisse videtur cum Budæo, Danesio, Tusano, Rabelæso [2], Maroto [3], Merlino Sangelasio, Germano Brixio [4], Sulmonio Macrino [5], Carolo Fontano [6]

1. Hanc epistolam inseruit Borbonius in editione Gryphiana, l. III.

2.
Jam raro Lateranus et Maïnus
Occurrunt mihi, Sangelasiusque :
Nempe, urgentibus aulicisque rebus
(Ut sunt tempora) serio occupati :
At tu, mi Rabelæse, quando abire
Certum est, quo mea me vocat voluntas,
Quo fatum potius vocat trahitque,
Illis nomine dic meo salutem.

Nugæ IV, 67.

3.
Carmina quæ scribit Gallo sermone Marotus,
Vivent, dum vivent et tua, magne Maro.

Nugæ V, 55.

4. Gallice, *Germain de Brie.*

5. Gallice, *Salmon dit Meigret.* — Sic Brixium et Macrinum laudavit noster

Ætas egregios duos poetas
Hæc fert aurea, Brixium et Macrinum.
Felix Gallia, tali utroque Gallo :
Lingua maximus est uterque utraque,
Ex æquoque beata vena utrique est.
Mellitas cithara Macrinus odas
Flacci personat instar et pudicos
Mores conjugis optimæ atque amores
Effert laudibus, et suos et omneis
Doctos quique bonas amant Camœnas :
Atque, hoc ingeniose et eleganter,
Festiveque, adeo facit poeta, ut
Huic dicas Veneres Cupidinesque
Omnes et Charites, Apollinemque, et
Musas, omnia et adfatim volenteis
Dictare, atque suo favere alumno.
Alter, Brixius, aptus et politus,
Emunctus, lepidus, facetus, acer,
Scribendis epigrammatôn libellis
Primam dicitur obtinere palmam :
Nec molleis elegos inerudite
Tornat, nec male surgit hexametris :
Pulchre, apte, bene, dextere Maronem
Nasonemque refert, Propertiumque
Inprimisque sales Catullianos.
Ecquisnam est hodie poeta toto
Qui sic fulminet et triumphet orbe ?
Ætas o optima, talibus poetis,
Ætas aurea, seculumque felix,
Dives Gallia, Brixio et Macrino !

Nugæ I, 225.

6. Gallice, *Charles de la Fontaine.*

Hieronymo Fundullo [1], Vulteio Remensi [2], Joanne Dampetro [3], Julio Cæsare Scaligero, Joanne Pellisone [4], Joanne Sturmio [5], Sadoleto [6], Simone Grynæo [7], Richærio Torignæo [8], Postello [9], Carolo Stephano, Michaele Vascosano [10], etc.

V. — Quædam de Borbonii egestate, humilitate et impudentia simul referuntur.

Borbonium sane laus illa quam sibi paraverat apud eruditos ab hominum injuriis ac fortunæ malignitate vindicabat, et, si quando labaret animus, spe nominis immortalis sustentabat. Quidquid solatii ac spei e Musis perceperit poeta, haud ineleganter in his versibus expressit :

Cur citis mœres abiisse pennis,
Borboni, lætæ tibi ver juventæ ?
Cur senectutis tibi sors propinquæ
Dura videtur ?
Cur times letum vir adhuc et ævo
Integro florens ? Ubi forte pectus
Illud est, nullus quod potuit olim
Frangere casus ?
Qui tot ærumnas animo tulisti
Semper invicto et tot adhuc labores
Ferre (qui summo tibi sint honori)
Posse videris ?
Qui poetarum decus esse nostri
Diceris secli legerisque passim ?
Qui tuis omnes modulis canoros
Vincis olores ?
Te viri magni celebrant, Macrinus,
Dampetrus, Piso, Samius, Coronus,
Sargus, Asturix aliique quorum
Nomina vivent.
Lingonum, qui te genuit, tibique
Junxit ardentem juveni Rubellam,
Vicus, et servat patris ossa, gaudet
Vandoperanus.
Urbs Trecæ gaudet, puerum quod olim
Te sub humanis habuit magistris,
Et sinu, Musis veluti dicandum
Fovit amico.

1. *Hieronyme Fondule*, illustris librorum antiquorum indagator.
2. Vulteius dictus quoque Visagerius, gallice *L'Envisage*, poeta remensis.
3. Gallice, *Jean de Dampierre*, ortus a Blæsiis, poeta latinus.
4. Illustris pædagogus, Turnonii gymnasiarchus.
5. *Jean Sturm*, non minus illustris pædagogus, Argentorati gymnasiarchus.
6. *Sadolet*, pontifex Carpentaroctensis, insignis Ciceronianus.
7. « Simon Grynæus estoit un gentil personnage. Il a fait de belles préfaces sur Pollux et autres bons auteurs. » (*Scaligerana*).
8. *Christophe Richer de Thorigny*, magni cancellarii a secretis, poeta et historicus.
9. *Guillaume Postel*, regius professor.
10. *Charles Estienne* et *Michel Vascosan*, insignes typographi quos Borbonius vocat amicos neutiquam vulgares.

Tun'is es, cui non Helicon negavit
Congredi sacris toties Deabus?
Tun'is es, cujus caput ipse lauro
Cinxit Apollo?
Gentium quo non penetrat tuorum
Carminum clangor? Quid in orbe toto
Jam tuis nugis, elegis et odis
Clarius extat?
Quid times ergo? Quid, inepte, mœres?
Vive, non unquam moriture, vive :
Et manu grata, tibi si qua dantur
Gaudia, carpe [1].

Sed quorsum gloria? quorsum illustres amicitiæ, si sacculus, ut ait Catullus, plenus sit arenearum? Borbonius sane multos videbatur habere amicos; sed hujus generis, cujus et ipse quærebat et res exigebat, retinueret prope neminem. Nullo quæstu sustinebatur; nullus illi, nisi ex frugalitate reditus; nam carmina et versus quibus vitam insumere voluerat et quibus plurimum præstabat neque munus quoddam ei conciliaverant, neque utilitatem aluerant, laudem vero attulerant inanem et infructuosam. Quocirca sæpius in levitatem ac inconstantiam sui temporis invehitur :

Hei mihi! cur sordent spreti lacerique poetæ
Quorum cœlesti pectora mente calent?
Ignavos homines, mimos scurrasque videmus
In pretio, ornari, deliciisque frui.
Unde hic invaluit rerum præposterus ordo?
Hei mihi, quam nimium justa querela mea est!
Sed valeat Dea cæca, piis inimica poetis,
Queis, pro divitiis, nomen habere sat est [2].

Et in alio carmine :

Quotus quisque est hodie hominum prædivitum
Qui non bonum coquum, aut equum, aut tibicen, aut
Malum scortum bono poetæ præferat [3]?

Nec tamen homini pecunioso pluris poeta constaret nec majus afferret dispendium; nam poetæ opus est parvo : sua est natura tam parcus et continens ut non delicias, sed necessitates tantum deprecetur.

Non epulis capior lautis luxuque paratis :
Nolo saginari, set volo corpus ali.
Quæ mihi ab immodico defendat frigore membra,
Quaque tegar vestis plus satis una mihi.
Sic servum Christi esse humilem parvoque beatum,
Contentum sua vivere sorte decet [4].

Illud quidem Borbonium affligit et torquet quod, cum in cœtu hominum primæ notæ versatur, dignitas sua postulare videtur ut,

1. *Nugæ*, VIII, 103.
2. *Nugæ*, I, 129.
3. *Nugæ*, VII, 68.
4. *Nugæ*, II, 161.

inopia dissimulata, vestitu ac cultu niteat, habeat famulum et equum.

Si quando peculiatus est, quod rarissime evenit, animo ita elato ac liberali sese gerit, ut ad cœnandum aut ad rusticandum amicum quemque vocet. Quinimo procerum munera respuit et prope indignatur quod habeatur homo pecuniæ inhians et æruscator impudens, ut accidit cum cardinale Bellaio [1].

In extremis autem suis rebus, dignitate omni deposita, non dubitat ad preces et infimas obtestationes procumbere. Quidni ceterum hac arte uteretur quæ Virgilio quondam feliciter cesserat?

Virgilius quondam, si quid cupiebat habere
Utile quod studiis cerneret esse suis,
Semper id Augusto vates poscebat ab uno,
Atque ab eo nil non obtinuisse ferunt [2].

Quem igitur non puduisset poetam ita precantem respuere?

Invoco te, zona deficiente mea.
Frigora me terrent hiemis vicina futuræ :
Tu nosti ventos quam male ferre queam :
Per Musas obsecro, tuum miserare poetam,
. . . .
Dedecus est vatem tritis sic ire lacernis,
Cujus ab ætherea spiritus arce venit... [3].

Nec se difficilem præbet noster aut fastidiosum : veste una, veste obsoleta si fuerit semel donatus, sat erit : nihil amplius optat :

Algeo veste carens : vestes tibi, Carle, supersunt.
Sat fuerit de tot vestibus una mihi :
Quæ tibi servivit jam multum temporis, illam,
Illam, si fas est, ambio, non aliam [4].

1. Nuper tibi cum carmina scripsissem decem
Et illa inepta et isto indigna vertice,
Repente jussisti mihi numerarier
Pecuniam, quasi ego homo essem pecuniæ
Inhians, et palpo et æruscator impudens.
Divino set facile quid te fefellerit.
Nimirum, dum colloquimur, et tam humanitus
Rogas, numquid desit, ego tum imprudens satis
Respondeo nihil deesse, necessarios
Præter aliquot libros. Hinc suspicatus es
Ambire nummos : profecto falsus es :
Habes, sed isthæc ne posthac fraudi tibi
Sit impostura, et, ut caveas, hæc audeo
Prudentiam ad tuam effutire libere.
Tui candoris erit meam hanc audaciam
Æqui bonique consulere. Ast ego interim
Christum precabor ex animo : illum scilicet,
Qui, fœnore addito, remetiri solet
Pietatis officia, ut tantum ac talem, diu
Te servet præsulem nobis, superstitem.

Nugæ, VI, 48.

2. *Nugæ*, III, 110.
3. *Nugæ*, id., id.
4. *Nugæ*, II, 92.

Sed non solum vestiarium vacat; vacat etiam cella vinaria, etiam lignaria. Ut ea autem repleantur, vide industriam ac solertiam hominis. — Argenteum poculum quo quondam fuerat donatus a Vuillelmo Bostono; Wuesmonasterii cœnobiarcha, « non modo servabat diligenter, sed in deliciis quoque habebat ac subinde amicis ostentabat. » Die quadam, a prandio, cum memoria repeteret quanta vini penuria tum forte laboraret, ex tempore fecit distichon græce et latine, quod misit ad cœnobiarcham :

κοῖλον ἐμοὶ καὶ ἀργύρεον κρατῆρα πέπομφας,
ὦ κάλλιστ' ἱερεῦ, πέμπε καὶ οἶνον ἐμοί.

Ingentem pateram, argentum tornatile, dono
Optime das præsul, da mihi vina simul [1].

Haud dubium est quin cœnobiarcha duplex illud distichon, sicut æquum erat, dolio vini expendere voluerit.

Et cum frigus sit iniquum tenuibus ac macris corporibus, hiberno frigore Borbonius, propter ligni inopiam acriter cruciabatur. Tunc videre erat poetam, suspenso calamo, per cubiculum deambulantem, tantisper dum miserum hoc suum corpusculum nonnihil recalefecisset. Cum satis caleret et melius se haberet, studia repetebat : sed brevi rursum invadebat frigus, quod ni motu et agitatione propulsaret, periculum erat « ne statim versus in lapidem obrigeret, ut de Niobe poetæ fabulantur [2]. » Illas miserias cuilibet generoso homini enarrabat. Quis igitur, tanta infelicitate audita, non se subita misericordia captum sensisset nec magnum ligni proventum ad poetam deferri jussisset?

Erat Borbonio famulus, non illitteratus quidem [3], fidus Borgio, cum quo, terra marique, pericula omnia omnesque labores fortiter obierat,

Fortuna cum modis hunc perdere omnibus
Studeret, et modo huc, modo illuc pelleret,
Ut turbo venti paleam inanem aut plumulam
Solet rotare [4]...

Borbonius ergo, cum Borgio esset jocoso atque festivo animo, jocos illius et facetias in litteris suis ad prædivites amicos libentissime inserebat, sperans forsitan ex his sibi aut Borgioni aliquid boni redundaturum [5].

1. *Nugæ*, VI, 40, 41.
2. Epistola ad benevolum lectorem, *Nugæ*, VII.
3. Borgio, Borbonio si creditur, versiculos non ineleganter condebat. Ipse indicem carminum heri sui in editione Gryphiana contentorum contexuit. — Vide Borgionis præfatiunculam, p. 504.
4. *Nugæ*, VIII, 132.
5. Illud scilicet ad Vuillelmum Bostonum scribebat Borbonius : « Is Borgio cum febricula laboraret, ac Butti regii medici præscripto dies aliquot, præter naturam patriumque morem, a vino temperasset, in morbum graviorem incidit.

Sed flagitator fiebat acerrimus, cum ipsi longinquum iter esset suscipiendum : nam equus erat emendus viaticumque parandum. In hoc rerum articulo amicos prensabat, supplicabat, ambibat[1]. Quod sibi donatum iri desperabat, mutuum petebat, et hujusce modi scribebat syngraphas :

Quot numerant Musas nostri implorantque poetæ,
Tot fateor soles te numerasse mihi,
Soles, legitimo nummos et pondere et auro;
Hoc tibi, Mæcenas, syngrapha carmen erit[2].

Nec quid pensi habebat quibus modis ære alieno se liberaret ; nam si, die dicta, crumena negaret, versus pro nummis effundebat :

Debeo grande tibi æs, nec solvere curo, Renate,
Meque tuo vinctum semper in ære tenes.
Syngrapha nulla tibi est testesque adhibere negasti.
. . . .
Set moriar potius, vel vivus tradar in Orcum
Ingrati maculam quam subiisse velim.
Non ego, set per me, multo cum fœnore, reddet
Musa tibi, cui sum deditus atque sacer.
Immortalis eris totoque caneris in orbe,
Temporibus felix nate, Renate, meis[3].

Utrum immodicæ suæ laudes patronos juvent an fatigent parum moratur Borbonius : huic tantum curæ est ut *fucos a præsepibus*

Id vero cum Edmundus, medici Butti filius, animadverteret, Borgionis mei misertus, recta domum tuam, cui Nethum est nomen, contendit, ubi a quopiam famulo tuo excellentis vini lagenam nactus ad Borgionem ægrotantem ac sitibundum defert. Borgio, ubi adesse vinum audivit, repente e lecto prosiliens, totam lagenam uno impetu exhausit atque ita mox convaluit. — Tui igitur vini tuorumque erga se beneficiorum Borgio non immemor, me rogavit, ut si quando tibi scriberem, litteris meis carmen super ea re suum dignarer adjicere... Quandoquidem totius hujus epistolæ meæ scopum esse volo, ut rideas, Borgionis mei carmen sic habet in Buttum medicum :

Febre laborabam, infelix ego Borgio, cum tu
Vinum interdixti, Butte severe, mihi.
At vino egregio Bostoni præsulis hausto,
Convalui, Bacchi munere non medici.

ALIUD EJUSDEM CARMEN.

Præsul, sis felix, omnisque Britannia tecum,
Si mea non tristi ludicra fronte legis.
Hic patriæ varios fructus contemplor et anni
Divitias et quæ sunt mihi ruris opes.
Hic tua, Borbonio cum præceptore, recordor
Vina, quibus nostro corpore febris abit.
Hic piscor lætus venorque : hic cerea pruna,
Castaneas molleis, mitia poma lego.
Hic observo lupos et vitibus arceo nostris :
Ne non, quæ dederis, reddere vina queam.

1. *Nugæ*, VII, 112; VIII, 4, 14.
2. *Nugæ*, III, 77.
3. *Nugæ*, I, 204 : Vide etiam, III, 75.

arceat id est homines qui eodem Mæcenate quo ipse uti velint. Illud præsertim extimescere videtur ne quis, detrimento suo, patroni thesaurum exhauriat. Inde fit ut scribat ad Franciscum Thuanum, Lautreci a secretis[1] : « De furunculo illo qui te jam toties auro emunxit, quid statueris, quid actum sit multum aves scire. Si me audis, cave impurissimum illum scurram ». Sic Stellam suum monet ut a Cabriello quodam crumenam tueatur : « Dederas ei ad me et ad alios litteras et xenia quædam ; at ille nunc otiosus tuas ad nos litteras lectitat in ganeis, quum suæ notæ bellis homunculis scortisque tua munuscula ostentat. Ego semper a talibus christianorum carcinomatis cavendum esse duxi. Quam belle te emunxerit Cabriellus, non est nunc dicendi locus. Doleo tamen videre te ac alios bonos adhuc ab illo falli... Hæc ideo ad te scribo, mi Stella, ut posthac ab hoc genere fucorum tutus sis : moneasque amicos omnes ut ab hujus modi falsis fratribus caveant... Fac imiteris apes ; fucum a præsepibus arce. Novi insignem liberalitatem tuam in omnes, a qua te nequaquam dehortari velim. Tantum te admoneo tanquam fratrem frater, ne beneficia tua male colloces[2]. » Quid utilitatis ac gratiæ e sua delatione retulerit Borbonius, nusquam in libris aperuit.

VI. — Borbonius Margaretam, Navarrorum reginam, implorat. — In albo famulorum Bautreci adscribitur. — De poeta senescente pauca referuntur.

Quamdiu viguit, docendo, laudando, peregrinando, mendicando, ætatem degit Borbonius. Dies tandem venit cum, incertæ hujusce vitæ pertæsus, pacem ac requiem desiderare cœpit.

Complures jam annos vagor huc incertus et illuc,
  Cum famulo infelix cumque duobus equis,
Et mihi quos dederat regina Britannica nummos
  Gallia nunc avida gaudet habere manu.
Pauper et exhausto sum corpore, plurimus hostis
  Urget me indignis persequiturque modis
. . . .
Hoc si quis videat macilentum corpus et ægrum
  Ferre tot haud credet me potuisse mala[3].

Illud inprimis dolebat et ægerrime ferebat quod studiis continuo excluderetur[4], careret libris et otio. — « Tantum abest, aiebat, ut

1. *Nugæ*, I. I. Borbonius Fr. Tuano.
2. *Nugæ*, VII. Epistola ad Stellam.
3. *Nugæ*, VIII, 82. — Alias scripserat :

Semper ero infelix ? alienoque obrutus ære ?
  Confectus curis ? posthabitusque cocis ?
Æger ? pannosus ? patriis procul actus ab oris ?
  Mancipio similis ? squalidus ? exsul ? inops ?
Non ero : nam finem dabit his Deus, unica nostræ
  Spes animæ : nunquam deserit ille suos.

4. Turbinis instar agor studiis exclusus amænis :
  Et, quocumque vocat principis aula, trahor.
Nugæ, VI, 60.

summo illo subsidio fruar, quo litterati fere instructi gaudent, librorum supellectile scilicet. Ego quibusdam familiariter convixi, qui doctrinæ neutiquam vulgaris fama commendabantur. Ii, si quando epistola scribenda aut carminis aliquid faciendum erat, continuo sese in bibliothecam conjiciebant, haud aliter quam solet testudo sese in testam suam, imminente periculo aliquo, recipere, eque librorum thesauris, tanquam e penu non verborum modo copiam ac sermonis lumina, verum etiam rerum omnium argumenta et concinnitates et cætera ornamenta petebant[1]. »

Borbonius plures sane sibi Mæcenates paraverat. quos magna industria coluerat ; sed ex his nemimem invenerat cujus benevolentia ac gratia annuo quodam stipendio aut lauto quodam sacerdotio ornaretur. — Sed rex Franciæ colebat et studia, studiosos amabat, fovebat, provehebat : omnium qui aliqua componebant dicebatur portus, sinus, præmium ; ipsarum denique litterarum renascentium pater ac tutela. Quidni poeta, cum jam sua fama percrebuisset, ad regem sese verteret ? Cardinalem igitur Lotharingum oravit ut aditum apud principem sibi conciliaret.

Postquam me pietas respexit principis, ecce
  Vivere nunc videor, qui modo nullus eram.
Set, nisi Francisci in conspectum venero regis
  Atque illi, duce te, flexero utrumque genu,
Nullus ero rursus : precor ego, o noster Apollo,
  O Musarum ingens pontificumque decus,
Ne dedigneris me regia ducere ad ora :
  Neu mihi præsentem ferre graveris opem[2].

Minime certum est Borbonium in conspectum regis unquam venisse ; nam, si res ex animi ejus sententia successisset, non dubium est quin congressum suum cum tanto principe etiam atque etiam versibus concelebrasset. Franciscum tamen regem elegiaco sapphicoque numero laudaverat ; augustis etiam Delphini manibus longo carmine parentaverat Lodoicæque e Sabaudia tumulum duplici ornaverat epitaphio ; sed e carminibus tam largiter profusis ne minimum quidem nummum perceperat. Haud mirum ergo si illius versus ægritudinem sæpius atque etiam desperationem spirare videntur. Sic honesta fraudatus mercede de se ipso loquitur :

Hujus inauditos anni mea Musa calores
  Cantavit, quos me ferre necesse fuit :
Delphinique obitum lugubri carmine flevit
  Tristiaque ereptæ funera nuper heræ.
At nunc sævit hyems, nec adhuc mihi contigit ullum
  Nancisci auxilii præsidiique locum.
. . . .
Heu, quid agam ? Quo me, Deus optime, vertam ?
  Tu nunc, tu vati consule, Musa tuo[3].

1. *Nugæ,* VII, Epistola benevolo lectori.
2. *Nugæ*, VII, 117.
3. *Nugæ*, VIII, 82.

Et alias :

Tabesco infelix odio languoris iniqui :
Solam opto mortem quam mihi fata negant[1]

Sed non diu rebus suis diffidebat : in spes novas brevi adducebatur, ut his versibus multisque aliis apparet :

Hoc mihi fundenti lachrymabile carmen, ab alto
Cœlo, vox aures fertur ad usque meas :
Pone metum : Regina tui miserabitur, illa
Margaris, illa soror regia plena Deo.
Finiet illa tuos fletus longosque labores
Et reddet studiis otia grata tuis[2].

Felicius enim processisse videtur apud Margaretam e Francia, Navarrorum reginam, unicam regis Francisci sororem, nec tamen sine cura ac sudore : namque ei longo tempore fuit æstuandum ut ad visendam reginam tandem admitteretur.

Hanc primum, anno MDXXVIII cecinerat prægnantem [3] oraveratque ut seipsum in numero famulorum adscriberet[4]. Sed cum

1. *Nugæ*, VII, 88.
2. *Nugæ*, VIII, 82.

3. O Dilecta Deo regina et numine plena
Margaris, o clara regia stirpe soror.
Fœmina rege potens germano et rege marito,
Fœmina præcipuis anteferenda viris.
Tu præstas virtute tua, ne prisca vetustas
Nostra pudicitiæ tempora laude premat.
Nam tua inextinctam servant præcordia flammam
Divinoque tuum pectus amore calet.
Ingenium, mores, candor, præstantia formæ,
Divitiæ, pietas, lingua diserta, genus,
Ornamenta tibi sunt cœlestia dona :
Te superest mulier nulla beata magis.
Set vereor, juvenis ne dicar stultus et audax
Virtutes ausus dicere velle tuas,
Quas neque Threïcius digne cantaverit Orpheus,
Saxa licet cantu traxerit atque feras.
Sis felix et cum pariendi venerit hora,
Non Lucina ferat, sed tibi Christus opem.
Sitque tuus (seu mas fuerit, seu fœmina) fœtus
Persimilis matri persimilisque patri.
Nugæ, I, 197.

4. Si me de numero famulorum, diva, tuorum
Esse voles, quis me doctior alter erit ?
Quis me liberior ? quis me felicior uno ?
Aut quis olor fundet dulcius ore melos ?
Dicar ego antiquos omneis æquare poetas
Orphea Threïcium, Phœbigenumque Linon :
Et regis soror et regis celebrabere conjunx,
Margaris ; hoc mundus nomine plenus erit.
Virtutes cantabo tuas prolemque fidemque.
. . . .
Me modo respicias juvenemque inopemque poetam,
Indignis tractant quem fera fata modis.
Dedecus est vatem trita sic ire lacerna
Cujus ab ætherea spiritus arce venit.
Nugæ, II, 155.

latina lingua nil proficeret, vulgari usus est et ad Margaretam scripsit nescio quid epigrammatis gallice [1].

Ad colloquium tandem vocatus est : sed res præter spem ei accidit ; nam, ut ipse narravit, ubi vidit reginam, trunco similis, obmutuit et hæsit ; nec illa tamen poetæ pudorem et rusticitatem aversata est ; namque eum dimisit blandis verbis et muneribus ornatum [2].

Sed aliud optabat Borbonius :

> Non opes a te peto, non honores,
> Set meis pacem requiemque Musis :
> Da tuo vati, Dea, da dedisse
> Quod juvet olim [3].

Et cum ad eum mitteret Nugas, hoc votum renovavit soluto sermone : « Si poetica illa ludicra, quæ puer olim lusi, optimo et cuique grata fuere, quanto gratiora futura sunt, quæ a me jam viro proficiscentur?... Tu regina, tu cœlum mihi serenabis nutu tuo perficiesque ut de te verius quam de suo Cæsare Virgilius, dicam *Deus nobis hæc otia fecit :*

> Otia Virgilio quæ sunt Cæsare facta
> Fac, regina, mihi : sis ut et ipsa Dea. »

Nec patrocinium neglexit virorum quos apud reginam plurimum valere audiverat, ut testari videtur epistola quædam ad Jacobum Olivarium, Alençonis cancellarium [4].

1. Hæc tibi cum scripsi *vulgaris carmina linguæ*
Incompta, dura, agrestia.......
Da veniam, regina, mei soror unica regis...
Nugæ, V, 23.

Si mea musa placet, *numeris vulgaribus usa*...
Nugæ, V, 30.

2. Cum me ad colloquium nuper, regina, vocares,
Obstupui, attonitus numine, diva, tuo,
Et trunco similis lapidique obmutui et hæsi :
Extra me, infelix et sine mente fui :
Nec tamen, ut merui, tantum aversata pudorem,
Nec nimia offensa es rusticitate mea.
Quin mihi divino, non humano ore locuta,
Das aurum et sperem plura, benigna, jubes.
At satis his poteras me confirmare duobus
Verbis atque animum reddere : NOSTER ERIS.
Nugæ, VII, 84.

3. *Nugæ*, p. 493, in editione Gryphiana.

4. Tuæ istius fulgore magnitudinis
Conterritus, vix hiscere
Apud te ausim, qui nobilium hujus seculi es
Et litterarum ingens decus.
Quare, oro, da veniam si relligio est mihi
Adire te tantum virum;
Vale, et Musis apud Reginam heram meis
Fave, et, qua gratia vales,
Studiis meis quietem et otium impetra :
Volis id oro, quod potes.
Nugæ, VIII, 38.

Atque simul enixus est ad promerendos conciliandosque sibi animos juvenum e stirpe regia. Ubi dominam Isabetham, illustrissimam Navarrorum regis sororem, nupsisse Renato a Rohanno audivit epithalamium scripsit e quo illud distichon tantum superest :

Clara, antiqua, potens, dum mundum exusserit ignis,
Perstat ab Hectorea stirpe Rohana domus[1].

Dein confugit ad illustrissimum heroa, D. Joannem a Lavallo Castri Briantii in Armoricis toparchum totiusque oræ Britonicæ præsidem qui Franciscam Fuxæam, regis Navarrorum consobrinam, uxorem duxerat[2]. Miris quoque laudibus celebravit Henricum Lautrecum Fuxæum, summæ spei adolescentem de quo plura sperabat[3]. Nec oleum, aut ut verius dicam, atramentum perdidit : nam res ita successere ut ab eodem principe in albo famulorum tandem adscriptus sit. Quo quidem munere in conditione sarta ac tuta subito stetit : namque ipsum suus Mæcenas stipendio non pœnitendo, quoquo gentium proficisci, ubiubi locorum agere vellet, ornandum esse curavit. Tunc spe boni otii plenus fortunæque, quam Lautreci amplitudo pollicebatur, secundioris expectatione excitatus Borbonius nugis finem imponere statuit, hoc est puerilibus poematiis in quibus usque adhuc multas bonas horas male collocaverat. In eam ætatem ingressus quæ (ut pulchre monet comicus) aliam vitam affert, alios mores postulat, dicere sui sæculi principum laudes heroico carmine aggressus est, atque a Francisco rege sic orsus est :

Ille ego, qui lusi juvenilia carmina quondam
Plurima et æternum Nugis sum nomen adeptus,
Nunc heroa cano et regum decus. Ocius omnes
Vos mihi adeste, Deæ, quæ sacrum Helicona tenetis,
Vos mihi adeste omnes, Musæ, quæ principis hujus
Solæ et virtutes memorare et facta potestis[4].

Opus suum optimo atque doctissimo cuique gratum fore non dubitabat, sed eum tenuisse propositum nullatenus constat.

Quidquid enim dixerit, ad Nugas suas redire maluit quam periculoso generi insistere ; et cum poetica illa ludicra, quæ ab anno MDXXIII latine et græce, inter equitandum aut navigandum, luserat, in congerie jacerent, adhuc confusa et incompta cumque blattis ac tineis rixarentur, colligere et retractare cœpit eaque in unum volu-

1. *Nugæ*, V. (Epistola candido lectori.) — Claudio Rohano dicavit *Pædagogium.*

2. *Nugæ*, V, 34.

3. Quos mihi patronos Mæcenatesque putabam,
Speranti, præter verba, dedere nihil.
Ergo confugio, fatis urgentibus, ad te.
Tun', Henrice, mihi, tune negabis opem ?

4. *Nugæ*, Epistola ad Henricum Lautrecum, in editione Gryphiana, p. 495 à 498.

men in octo libros divisum redegit, quod Lugduni, MDXXXVIII apud Sebastianum Gryphium edidit. Anno postero, novum libellum, cui titulus *Tabellæ Elementariæ pueris ingenuis necessariæ* Simoni Colinæo Parisiensi dedit prælo subjiciendum.

Verisimile est octo illos Nugarum libros ab eruditis honorifice fuisse acceptos ; namque novam ejusdem operis editionem, Basileæ, anno MDXL apud hæredes Alexandri Cratandri protulit.

Ex ea die paucissimos versus emisit Borbonius, sive latinas litteras apud æquales jam sordere animadvertisset, sive etiam, Horatio duce, persuasum haberet eum esse stultum qui, cum non premetur inopia « non melius putet dormire quam scribere versus[1]. » Anno tamen MDLVII edidit apud Michaelem Vascosanum *In Francisci Valesii regis obitum inque Henrici ejus filii Regis adventum dialogum et alia quædam non injucunda.*

Ea sunt quæ de Borbonii vita compertum habemus, et tantum ex ipsius scriptis : nam ex auctoribus sexti decimi sæculi qui de nostro poeta mentionem fecerunt neminem invenire est qui de illius vita ac moribus quidquam retulerit : ingenium atque artem in eo tantum spectavere.

Septimi autem decimi sæculi scriptores inter quos Moreri[2] et Baillet[3] perhibent Borbonium a Margareta Navarrorum regina fuisse cooptatum, ut filiam ejus, Joannam Albretam, humanis instrueret disciplinis, atque ita meruisse ut beneficio quodam apud Candatum[4], Andevacorum oppidulum, ornaretur. Narrant præterea poetam nostrum, cum illum aulæ tæderet, in beneficium suum sese recepisse atque ibi vitæ suæ curriculum confecisse.

In ea sede, non videtur Borbonius laudandi, dolendi mendicandique artem omnino repudiasse ; namque, rege Francisco exstincto, Henrici regis dicere laudes aggressus est[5], sed, cum merces esset

1. Horat. Ep. II, 2.
2. *Dictionnaire historique.*
3. *Jugement des savants sur les principaux ouvrages des auteurs.*
4. Gallice, *Candé* (Maine-et-Loire).

5.
Te poetarum chorus hujus ævi
Ut suum Phæbum celebrare passim
Gestit : inprimis ego, rana quamvis
Inter olores

Et alias.

... Emoriar, si non, Rex Henrice, fiam
Buccina virtutes dicere digna tuas
. . . .

Spero fore ut pergas : quod si facis, Henrice, Regum
Ut puto adhuc veterum par tibi nemo fuit
. . . .

Quis tibi adhuc juveni Regum se comparat alter ?
Perge, uno possis ut minor esse Iove.

(Ex libello cui titulus *in Francisci Valerii obitum.*)

tardior, Joannam, discipulam suam, versibus oravit ut principis liberalitatem maturaret [1].

Quo mortis genere exstinctus sit Borbonius difficile dictu est neque multo facilius est dicere quoto suæ ætatis anno e vita discesserit. Quidam mortuum esse ferunt anno MDXLII [2]. Quod quidem falsum est, namque anno MDXLVIII conjugum illustrium Antonii e Borbonio Vindocinensis ducis et discipulæ suæ, Joannæ, Navarrorum principis, epithalamium cecinit, quod Parisiis apud Vascosanum anno MDXLIX edidit [3].

1.

Si novem Musis decimam tribusque
Gratiis quartam cupide requirat
Juppiter, nullam tibi præferendam
Dicet Apollo.
Tale nancisci decus, o puella
Jana, priscorum sata stirpe Regum,
Ut Dei donum fuerit, *tamen me*
Usa magistro es.
Sedulo qui te docuit latinas
Litteras, plus quam fuit et paratus
Te sequi, quo te tua cumque fata
Dique vocarent.
Qui tuus doctor fuit, est eritque
Qui tuus vates, fugitare lætos
Incipit cœtus hominum nec ulla
Gaudia carpit.
Mœret afflictus cupiensque mortem,
Carmen extremum meditatur et quo
Vim suæ sortis canet et maligni
Vincula fati.
Tun' virum talem periisse, virgo,
Tun' sines? Magnum nec adibis unquam
Henricum Regem? tibi quid petenti
Ille negarit?
Hunc adi fidens; tuus impetrabit
Regius nil non pudor auferetque :
I, tribus verbis hominem poetam
Redde beatum.
Audeas pulchrum facinus precamur
Aggredi, si vis animos piorum et
Eruditorum tibi sempiternas
Dicere grates.
Fac reviviscam : tibi tot labores
Consecrabuntur, cava quos recondit
Arca : tot libris tua fama summum
Tanget Olympum.

(Ex eodem libello.)

2. Vide Finot, *Notice biographique sur Nicolas Bourbon,* 1853.

3. Vide de eodem scriptore, præter Moreri et Baillet, Niceron : *Mémoires pour servir à l'histoire des hommes illustres dans la république des lettres,* 1725; — Grosley : *Mémoires sur les Troyens célèbres,* 1813. — Jacquot : *Notice sur Nicolas Bourbon de Vandœuvre,* 1857; — Socard : *Biographie des personnages remarquables de Troyes et du département de l'Aube,* 1882.

PARS SECUNDA

DE VARIIS BORBONII SCRIPTIS

I. — Quæ genera poematum Borbonius scripserit.

Poematia scripsit Borbonius quæ *Nugas* appellavit, multa tenuiter, multa venuste, multa facete, multa cum bile : quæ collecta, non servato temporum aut rerum ordine, sed ut quæque in manus venerant, in octo libros distribuit.

Ab ipso Borbonio accepimus « quosdam fuisse male feriatos » qui risum in suis carminibus reprehendebant, quasi rem profanam indignamque homine christiano : « Sed nonne, aiebat Borbonius, inest tempestivo atque honesto risui plus veræ pietatis quam in tristibus quorumdam superciliis [1] ? » Nec scripsisse nugas negabat :

Carmina lusi olim totum jam sparsa per orbem
Nugarum titulo : nugis sunt omnia plena.
. . . .
Nec tamen id vitio verti mihi debet, opinor,
Si puer et juvenis, famæ crescentis amore,
Prodire ausus sum atque jocis ad tempus abuti. [2]

Versus vero ac locos omnes excipi volebat in quibus de Deo et Servatore Christo deque religionis cultu pie aliquid tractasse videri posset. « Nam preces, aiebat, hymnos, odas et id genus alia in honorem Dei, cujusmodi me fecisse multa gratulor facturumque spero, quis nisi furiosus maloque genio percitus nugas dixerit? [3] »

E Nugis quoque liceat seponere duo carmina quæ sententiarum gravitate versuumque numero (trecentos enim utrumque excedit) cum cæteris opusculis ejusdem auctoris valde discrepant : *Ferrariam* scilicet et *Pædagogium* sive *carmen ad pueros de Moribus*.

Pleraque Borbonii poematia ad illud genus pertinent quod veteres vocavere *epigramma*. Nemo nescit hoc genus tot versus tantummodo recipere quot operis cujuslibet titulus admittat : itaque latini poetæ pro optima epigrammatis figura distichon judicavere. Disticha multa scripsit Borbonius, multa etiam tetrasticha, multa hexasticha. Verum

1. Epistola ad Vuillelmum Bostonum : *Nugæ*, II, p. 90.
2. Epistola ad Franciscum Pucrium de Benestæâ : *Nugæ*, IV, p. 209.
3. Epistola ad Pucrium, p. 210.

factum est sæpius ut, cum duo versus, vel quatuor, vel sex totam sententiam continere non possent, usque ad triginta vel etiam quadraginta versus epigramma suum protulerit. Plurima tamen apud Borbonium invenias carmina quæ ad epigramma nihil pertinent : lyrica scilicet poematia quæ *odas* appellat, elegias nonnullas et epistolas. Sed qualemcumque formam induerint, ita distribui posse videntur :

1° Versus Borbonii ad amicos aut Mæcenates.
2° — de se ipso.
3° — ad Rubellam amicam.
4° Joci.
5° Epitaphia.
6° De re litteraria.
7° Imitationes.
Quæ sunt ad summum MCC poematia.

II. — Carmina Borbonii ad amicos et Mæcenates.

Carmina pleraque Borbonii nihil sunt aliud quam litterulæ aut schedulæ quibus conatur parare ac tueri amicitias, adsciscere patronos, consequi pecuniam, victum, asylum, vestes, libros multaque alia quæ longius esset dicere.

Quo in genere latinos poetas æmulatur, exprimit, reddit, Martialem inprimis a quo originem ducere videtur. Putes enim, si quid in studiis cognatio valet, et hujus propinquum. Ludit ut qui facillime, mendicat ut qui tenacissime, dolet ut qui impatientissime. Viros sexti decimi sæculi, qui aut divitiis aut regio favore plurimum valuere, prope omnes veneratus est ac miratus : rem quidem credas difficilem, arduam ac fastidiosam, quam vero singulari industria ac mira impudentia expediit. Homini cuilibet, dummodo potentem aut locupletem judicet, virtutes ac merita excogitat, nobilitatem scilicet et munificentiam, et pietatem, et decorem, et eloquentiam, et ingenium. Sed pro cujusque conditione gradatim laudes suas ordinat. Si a Mæcenate suo pauca sperat, hunc tantum nuncupat hominem beneficum, doctissimum, clarissimum; sin autem plura, hunc facit semideum, ex Hectoreo sanguine cretum, sui sæculi splendidissimam lucem, Summi Artificis opus nobile :

Tantus es ut nequeas major vel clarior esse,
Ni teipsum superes et Deus esse velis [1].

Quid illius refert utrum suæ laudes cum veritate congruant necne? Parum curat Petrum Lisetum, præsidem curiæ primarium,

1. *Nugæ*, VII, 9.

luce ac palam, judicem fuisse improbum et iniquum; hunc vocat « virum integerrimum [1]. » Item Pogetium [2], magistratum accerrima et immodica lingua apud omnes notum, dicit Demosthene ac Tullio majorem :

. . . . Pogetium
Nos Galli habemus hodie, qui facundia
Longe superat Demosthenemque et Tullium [3].

In his versibus condendis non veritatem Borbonius, mercedem tantum spectat. Si quando tamen optato præmio fraudatur, ingratum Mæcenatem, mutato aut suppresso nomine, [4] excludit e suis carminibus. In epistola quadam ad benevolum lectorem quid de suis laudibus sentiendum sit impudentissime aperuit :

Si quis forte hominum ociosulorum
Cui Nugas vacet hasce lectitare
Miretur, dubitet, rogetque caussam
Cur hæc editio secunda nostra
Sit tam dissimilis priore ab illa :
Sic respondeo : Vir, meos relegi
Versus, quos ego luseram puellus :
Quod dum factito, disco non quibusvis
Dextram (ut dicitur) esse porrigendam.
Nam quosdam *editio prior vocarat*
Claros, eximios, pios, amicos,
Patronos, lepidosque candidosque
Quos longe esse alios meamque falsam
Eventa ipsa docent opinionem :
Tam mens usque fuit mihi in parandos
Prona, et cerea, et incitata, amicos.
Quare, nil tibi, lector, esse mirum
Debet, *quod novus hic meus libellus*
Quædam nomina respuit : bonis fit
Summa injuria, quando in immerentes
Laus effunditur : et mali insolescunt
Laudati, tacitos pudet relictos [5].

Multa etiam composuit carmina, quæ strenarum vice, Calendarum Januariarum die, ad præsules atque principes detulit; sed, dummodo nummus veniret, parum curasse videtur quo favore apud patronos exciperentur, ut his versibus apparet :

Sæpe loco strenæ versus tibi, Carole, mitto,
 Num, rogo, num credis sic tibi verba dari ?
At quid habet, quod det, nisi versus, Carole, vates ?

1. *Nugæ*, I, 86 ; VIII, 48.
2. Gallice, *Poyet*.
3. *Nugæ*, VIII, 54.
4. In editione Gryphiana suppressa sunt pleraque carmina in honorem Ginaliacorum quæ legi possunt in editione principe. Si quæ supersunt, notandum est nomen Galeottum versum fuisse in Galeatum.
5. *Nugæ*, I, VII, 127.

Quid vates aliud quam dare verba potest ?
Verum age, si nostri sordent tibi, Carole, versus,
Latrinas, in quas conjiciantur habes [1].

III. — Poeta de se ipso loquitur.

Quanto humilius in rogando ac mendicando sese abjicit et prosternit, tanto elatius semetipsum evehit, cum penuriæ oblitus ingenium suum contemplatur et intuetur :

Tun' is es cui non Helicon negavit
Congredi sacris toties Deabus ?
Tun' is es cujus caput ipse lauro
Cinxit Apollo ?
Gentium quo non penetrat tuorum
Carminum clangor ? Quid in orbe toto
Jam tuis nugis, elegis et odis
Clarius exstat [2] ?

Nugas sane scripsisse fatetur, sed quid futurum est si semel nobilius aggrediatur opus [3] ?

Mira est enim et insolens illius jactantia. Illi superbienti si qua fides esset adhibenda, nusquam fuisset poeta melior, elegantior, tersior, venustior, jocosior. — Quodcumque carmen emittit, id asserit plerisque ὀυκ ἀμούσοις hominibus placiturum. Si quando jocatur, jocos suos pollicetur candidissimo atque eruditissimo cuique viro gratos fore. Imo sperat quemque in legendo « risu crepiturum [4]. »

Et quod de ingenio suo sentit, id quoque de persona. Quod si tamen videres iconem illam quam omnibus Nugarum editionibus inserere voluit, ne oris sui lineamenta posteritatem effugerent [5], Borbonium naso fuisse longiore et facie emaciata forsitan faterere. Ille autem suæ formæ præstantiam in dubio nunquam habuit, ut his versibus testatus est :

Sum vates ego, Lingonicæ sum gloria gentis :
Sum juvenis, qualis cum raperetur Hylas :
Et Phrygium supero Ganymedem munere formæ ;

1. *Nugæ*, II, 184.
2. *Nugæ*, VIII, 108.

3. Si me nobilitant Nugæ quid, quæso, futurum est
Si grave maturius moliar author opus ?
II, 65.

4. « Tota sylva jocosa est ac plena facetiarum : eam simul atque famulus meus descripserit, ad te mittam. *Crepabis risu* (scio) inter legendum. » *Epistola ad Pucrium.*

5. Hoc tetrastichum de sua imagine composuerat :

Hæc est Borbonii florentis imago poetæ,
Quam quivis Coï dicat Apellis opus.
Hoc a Borbonio differt tamen ista; loquendi
Exors est; linguis nobilis ille tribus.

Flexanimus tenero manat ab ore lepos.
Dotibus his tantis videor mihi dignus amari [1]...

Adolescentulus jam dixerat :

Sum juvenis tenero pulchroque affabilis ore,
Fidus et ad veram factus amicitiam.
Una olim Phrygio si cum Ganymede fuissem,
Cum Jove nunc essem, pasceret ille greges [2].

Et se tantum virum existimat ut persuasum habeat ad lectores multum interesse quid agat, quid patiatur, quo eat, unde redeat, ubi sedeat. Inde fit ut necessarium judicet de sua vita nullam rem, vel minimam, omittere.

Febres suas [3], ventris fluxus [4], capitis et lateris gravedines [5], stomachi cruditates, dentium dolores et multa id genus incommoda versiculis notavit, recensuit et descripsit. Si scire velis quomodo poetice ejulet, hos versus ad exemplum e Nugis detraham :

Audi, pater, meum
Clamorem et exaudi preces,
O Christe Jesu, per tuam
Crucemque et omnia vulnera,
Per quicquid unquam passus es,
Oro miserum me liberes
His dentium cruciatibus,
Doloribus furialibus.
Nam morbus hic inutile
Totum mihi corpus facit :
Ita instat, urget, enecat,
Ni respicis, periclitor [6].

Vanitate intolerabili continuisque querimoniis legentem quemque obtundit et enecat Borbonius. Quanto autem mihi potior ac gratior videtur cum desinit se solum diligere et intueri atque redit ad saniores sensus ! Me juvat utputa audire versus quibus Vandoperam suam nobilitavit, parentes honestavit vivos deflevitque mortuos. His poematiis inest nescio quid vere humani et sinceri ; nam pectus est quod pectora tangit. Ex his existimari potest Borbonium fuisse bonum Vandoperanum, pium filium, amantemque fratrem. Jam supra memoravimus epitaphia quæ mœrens posuit defunctis parentibus : hic nobis proferre liceat epistolam qua suum fratrem Jacobum ad humaniores litteras excolendas summopere hortatus est.

Tu minimus fratrum quum sis, Jacobe, meorum,
Vixdum annos natus quattuor atque decem,
Per patriam manesque pios cineresque parentum

1. *Nugæ*, III, 88.
2. *Nugæ*, III, 33.
3. *Nugæ*, I, 106 ; V, 76, 77, 79, 81, 82, 83.
4. *Nugæ*, VII, 67.
5. *Nugæ*, VII, 56.
6. *Nugæ*, VII, 3.

Quos tumulo tellus Vandoperana tegit :
Dum tibi se indulget breve ver et flexilis ætas
Aureaque et nunquam quæ reditura fugit,
Oro, ut sic Musis inhies, sic oderis omnem
Desidiam, ingenium sic puerile regas,
Clarius ut reddas nostrum nomenque genusque,
Borbonio melior fratre poeta tuo.
Spes fore te magnum mihi multa adfulget, et omnes
Qui veniunt istinc omnia læta canunt.
Te referunt natum ad Musas et ad omnia summa,
Te puerum dicunt indolis esse probæ.
Et Dea posthabitis (ut fama est) Pallas Athenis
Urbis Lingonicæ cœpit amare solum.
Unde istic lingua doctos utraque magistros
Audis : id quod non fata dedere mihi.
Barbaries etenim toto regnabat in orbe,
Me puero, et Græce discere crimen erat.
Quare age, mi frater, fac quod facis, impiger aude
Esse aliquid : sic vir, sic eris alter ego [1].

IV. — Carmina Borbonii ad Rubellam.

Scripsit carmina plurima in quibus decantavit puellam nomine Rubellam, quam miro affectu dilexisse videtur. Et illa quidem digna erat quæ amaretur : nam bella erat Rubella, bellissima « a calce ad summum pilum [2] », nec humili loco nata. « Ut docta novem Musis quondam addita fuerat Sapho, Rubella tribus quarta fuerat addita Charis. » Seu latine, seu græce loqueretur, vox sua non fœminam, sed deam sonabat. In pectore, in labris « dea Pitho gaudebat luxuriare suis [3] ». Epigrammata senariolosque componebat quibus nihil lepidius jucundiusve legi poterat [4]. Et, ne quid desideraretur in illa, honestis præcellebat artibus quæ virgines decent : acu, colu, cantu, lyra [5].

Quæ fuerit illa Rubella non ausim affirmare. Quidam existimant

1. *Nugæ*, V, 115.

2.
Aurea cæsaries, o roscida labra et ocelli
Blandi, o frons hilaris purpureæque genæ,
O niveum ut cycni collum strictæque mamillæ,
A calce ad summum o bella Rubella pilum,
Non mirum, te Borbonius, si deperit atque
Vult immortalem versibus ipse suis :
Juppiter ipse ob te cupiat descendere Olympo,
Ob te iterum fieri bos, vel adulter olor.

In editione Gryphiana, p. 13 *Poeta ad Rubellam Borbonii amicam.*
3. *Nugæ*, Epistola ad Stellam.
4. *Tabellæ elementariæ*, Nicolaus Borbonius Rubellæ puellæ lectissimæ.
5. *Nugæ*, VIII, 153.

eam fuisse Borbonii uxorem [1]. Illud vero notandum est Rubellam a Borbonio *uxorem* nunquam fuisse vocatam, sed *amicam*, *puellam doctissimam et integerrimam*, *puellam lectissimam*, etc.

Præterea, poeta, cum suæ Rubellæ formam ac veneres miris laudibus effert, nihil habet in dicendo verecundiæ quæ decet maritum :

Bella es, bella, Rubella, bella certe,
Bella es; crede mihi, puella : nam quis,
Qui non pruriat ad tuos ocellos ?
Ad collum ? atque sororculas papillas ?
Quis non ardeat istud osculando os ?
Ecquis non pereat libenter isti
Hærendo femori cuniculanti ?
Quis ? vel Beda, severus ille censor
Et nostri Rhadamantus alter ævi ?
Nam dum nuda genu salis chorosque
Gestis ducere, nos doces abunde,
Quam sis digna, Rubella, nympha amari [2].

Rubellam si re ipsa matrimonio sibi conjunxisset, quis credat ab illo unquam fuisse narratum primum illum congressum, lepidum sane ac festivum, sed valde indecorum, quem cum amica fortuito habuerit [3]. Non quin existimem amores Borbonii fuisse illicitos ; nam si flagitium innotuisset, haud certe Borbonius in gratiam ac favorem præsulum et principum venisset, nec ei Margarita e Francia, Navarrorum regina, filiam suam Joannam commisisset educandam.

Inclinat animus ut existimem Borbonium amori duntaxat poetico indulsisse. Quot enim doctissimi viri, sexto decimo sæculo, latinos elegiacos imitati secutique, lasciviore musa fictos celebraverunt amores nec idcirco minus graves et sapientes apud æquales habiti

1. Jacquot. *Notice sur Nicolas Bourbon*, p. 10. — Forsitan quod Borbonius de se scripserat (VIII, 108).

Lingonicus qui te genuit tibique
Junxit ardenti juveni Rubellam
Vicus. . . . .

2. *Nugæ*, VII, 45. — Id etiam notandum est conjugium et uxores apud Borbonium nunquam fuisse in laude et gratia. Multa reperias in Nugis latine aut græce epigrammata *in mulieres*, *in uxores*, ἔις τὰς γυναῖκας, ἔις γάμον. E quibus hæc duo referam :

Pessima res quamvis, eadem tamen utilis, uxor :
Mox sua si moriens jusserit esse tua.

II, 84.

Nil video quod te, dum cælebs vixeris, angat,
Aut cur te vitæ tædeat, Aule, tuæ.
At si (Dii nolint) tempestas te auferet illa
Conjugii, invenies omnia plena malis.
Prolis, ais, causa uxorem volo : sint tibi nummi,
Filii erunt. Nemo pignora pauper amat.

V, 45.

3. *Nugæ*, III, 148.

sunt [1] ! Illud fieri potest ut Borbonius, qui Catullum diurna nocturnaque manu versaverat, Lesbiam voluerit habere suam et quamdam sibi delegerit amicam quam versibus, insciam vel consciam, sub ficto nomine Rubellæ, cecinerit.

Quidquid id est, Borbonius in Nugis ad suam Rubellam summopere probavit quam eleganti ac facili ingenio foret in amoribus describendis. Hos nobis liceat versiculos hic subnectere :

Quid fles, Rubella ? quid doles ?
Amica, quid mœres, mea ?
Abire me necessitas
Cogit ; sed huc tamen brevi
Ad te redibo, o lux mea,
Rubella ; adesdum, da genas
Istas madentes osculer,
Da turgidulis ocellulis
Os adprimam. Quid ? fles adhuc :
At siste lacrymas, precor ;
Brevi redibo et adferam
Aliquid tibi quo gaudeas.
Tu te interim oblecta domi,
Cum matre cumque ancillula et
His cum tuis æqualibus
Acu, colu, cantu, lyra,
Aliisque honestis lusibus
Qui virgines tales decent.
Cave autem et inprimis cave,
Cave (inquam) ut isti sanctuli,
Fraterculi, dicaculi,
Cucullo amicti et funibus
Cincti, suis te blandulis
Verbis suisque melleis
Fallant suasionibus.
Te probo ab omni crimine,
Ab omni turpitudine,
Puram mihi serves vide [2].

His quidem versiculis facile probatur quantum valuerit noster acumine et gratia. Nihil enim legi potest mundius, pressius aut venustius.

Concinniora quædam in illo poematio forsitan jam deprehendes : sed et vitium multo gravius reprehenditur in multis aliis epigrammatis Borbonii ad eamdem Rubellam ; nam, cum ad ardores descri bendos venit, *flagrat*, *uritur*, *ardet*, *incenditur*, *inflammatur* poeta, atque Rubella nihil nisi *flammas et ignes jaculatur*. Qua quidem metaphora intemperantius usus est in hoc hexasticho :

1. Vide utputa quod dixerunt de Lodoica Labbé L. Feugère in suo libro, *Les femmes poètes au* XVIe *siècle* et Jules Favre, *Olivier de Magny*. In jocis amatoriis, amica Rubella non unice usus est Borbonius : sunt etiam puellæ lectissimæ, Cassia(I, 33), Rosa (I, 223), Cœlia (IV, 8) in quibus non minus exardere videtur.
2. *Nugæ*, VIII, 53.

Qui fit ut *inflammer* magis ac magis *urar* in horas,
Incendarque oculis, pulchra puella, tuis?
Ex oculo dextro ridens Venus eque sinistro
In me contorquet tela, protervus Amor.
Me miserum! quid agam? *fax plus satis una fuisset* :
Infelix, cogor cur ego ferre duas [1].

Nec minus in hoc tetrasticho :

Surripui tibi, dum dormis, mea bella Rubella,
Basiolum, dulci nectare dulce magis.
O male me sanum, qui, quod me torquet et *urit*,
Id dicam dulci nectare dulce magis [2].

Ne multa, tanto igne concalet, tanto fletu fluit ut eum diceres in facem et in fontem mutatum :

Quæris aquas, virgo? Duo sunt mea lumina fontes;
Ex quibus (oro) vide flumina quanta fluunt.
Quod si ignem quæris, mea sunt præcordia flammæ
Sic, ut aqua in me ignem suscitet, ignis aquam [3].

V. — Jocatur Borbonius.

Hunc etiam sæpe juvat de Rubellæ nomine jocos excutere :

Sis læta et facilis, Rubella, semper :
Fac dicare *Rubella* non *rebellis* [4].

Pallet mœsta simul, si mœstus palleo. Lætus
Oscula si posco, læta *Rubella rubet* [5].

Eodem joco utitur in quosdam insignes sui temporis homines. Sic Vivem laudavit :

Ingenium, corpus, mores, facundia, candor
Et stylus : invicto quo velut ense, vales.
Hæc pretiosa ut sint, tamen isto nomine *Vives* :
Nil tibi te dignum fata dedere magis [6].

Quo in genere, puerili satis ac futili, Martialem imitatur. Plurima

1. *Nugæ*, I, 150.
2. *Nugæ*, I, 20.
3. *Nugæ*, I, 152. — In eo carmine, quidquid ridiculi ac putidi excogitari potest Borbonius cumulate explevit :

Huc ad me properate omnes qui quæritis ignem :
Cur quæsitum alio curritis? ignis adest :
Nempe ego sum fornax : intus sunt viscera flammæ :
Semper inextinctis uror, ut Ætna, rogis.
Si summo attigero digito (mirabile dictu)
Et maria, et tellus, et polus, ignis erunt.
Ardeo et uror amans; Amor hæc incendia fecit,
Ut mea sic flagrent pectora, fecit Amor.
O crudelis Amor : nam fertur mater et ipsa
Sæpe Cupidinea lampade læsa Venus.
Ne matri puer ille quidem, nec parcere divis
Novit : ego heu quid agam? nescio, semper amo.

I, 229.

4. *Nugæ*, II, 120.
5. *Nugæ*, I, 53.
6. *Nugæ*, IV, 36.

edidit disticha atque tetrasticha in quibus nihil ultra verborum argutias et cavillationes elaborasse videtur.

Sic vocabulum, detracta littera, aliam in partem traducit :

Græculus est quidam sic dictus homunculus : illi
Detrahe vocalem, *graculus* ut sit avis [1].

Addita vero litterula aut mutata, eodem modo jocatur :

IN MEDICUM INDOCTUM

Si tibi litterula accedat quæ in Nestore prima est,
Fies *mendicus*, qui modo eras *medicus* [2].

IN LOPIDEM ERASMI OBTRECTATOREM

Qui vomit ampullas et sesquipedalia verba,
Obstrepit et studiis, Roterodame, tuis.
Qui tumet Hispana, petulans et barbarus, aura,
Hunc par est *lapidem* dicere, non *Lopidem* [3].

Aut detractis plurimorum vocabulorum syllabis, consonantibus primis tantum servatis, vocabulum novum elicit : Ex.

IN RUFUM ALIENARUM VIGILIARUM SUPPILATOREM

Cum mihi surripias noctu mea carmina, Rufe,
Litterulis debes nomen habere tribus.
Prima caput Famæ, F, medium dat prima Volucris, V,
Te peragit Latii littera prima Remi, R (Fur) [4].

Sæpe etiam primæ syllabæ ita iterantur, ut in uno disticho inter se similiter sonent.

AD AMICAM

Cur violas mittis ? nempe ut violentius urar :
Heu violor violis, o violenta, tuis [5].

Est aliud apud Borbonium humile quidem et parum elegans joci genus, cum vocabulo cuidam vocabulum respondet alterum, diversam in sententiam admissum, sed aut iisdem aut fere litteris scriptum :

Nunquam dignaris mecum colludere, Casca,
Si non vis mecum ludere Casca, caca [6].

Jocatur interdum græce Borbonius, nec tamen sine lepore. Si

1. *Nugæ*, VII, 83.
2. *Nugæ*, I, 139.
3. *Nugæ*, I, 37.
4. *Nugæ*, I, 52.
5. *Nugæ*, I, 192.
6. *Nugæ*, II, 160.

usus ambigua voce *Polisy*, in domum clarissimi viri D. Joannis Dintavilli, Polysii toparchi, hoc distichon fecit :

Quæ domus est hodie recte appellata πολὺ ζῆ [1].
Nempe inquam, nil Mors pallida juris habet [2].

Nec omnino insulsus est jocus ille εἰς μοναχούς.

Monachi græce vocantur solitarii,
At hodie tot monachi in cœnobiis cum simul
Sint otiosi et ignavi et pasti bene,
Cur multitudo solitudo dicitur [3] ?

Has sane nugas spectabat Audoenus [4] cum illud epigramma in Borbonium contorquebat :

Quas tu dixisti Nugas non esse putasti,
Non dico Nugas esse, sed esse puto.

Ego autem illa ludicra poematia non omnia existimo esse respuenda : Borbonium tamen reprehendo quod in Nugis condendis venam suam ac ingenium sæpius dissipaverit.

VI. — De quibusdam epitaphiis a Borbonio conditis.

In epitaphiis ponendis non omnino desciscivit Borbonius ab illa antiqua epigrammatici generis definitione. Epigrammatis enim nomine veteres vocabant quidquid monumento cuilibet inscribi solebat. Epitaphia multa composuit noster, quæ elegantia potius et acumine quam pectore valent.

Sua concinnitate, meo judicio, peccat argutum hoc epitaphium in honorem puerperæ cujusdam Margaretæ :

Aspice quæ vixi ter quinque, nec amplius, annos,
Nec potui conjunx mensibus esse decem,
Margaris hic sita sum, primo pulcherrima partu
Quæ peperi geminos : ut peperi, perii [5].

Atque illud in honorem Magdalenæ Lacheneæ, Parisiensis puellæ.

Hunc o puellæ, o virgines Lutetiæ,
Tumulum vestris ita irrigate lacrymis,
Ut hortulus fiat, qui perpetuis rosis
Abundet, æternisque vernet floribus.
Nam Magdalenam (quæ ordinis vestri fuit
Magnum decus) Parcæ hic posuerunt invidæ.

Sed mihi videtur erravisse poeta multo gravius in Severini pueri

1. Sic græce jocabantur Pithœi fratres, qui domui suæ hanc inscriptionem præposuerant : τοῖς νόμοις πείθου.
2. *Nugæ*, IV, 108.
3. *Nugæ*, I, 149.
4. Gallice, *Owen*.
5. *Nugæ*, I, 13.

tumulo, si his versibus speraverit patris matrisque luctum se levaturum :

Parva Severinum complectitur urna puellum
 Inque Severinum Parca severa fuit.
O pater, o mater, quid chari funera nati
 Lugetis? cur sic lumina vestra madent?
Nunc ille ætherea divum spatiatur in aula,
 Exhilarans pulchro cum Ganymede Jovem [1].

Ne fabula quidem aut (ut more recentiorum dicam) mythologia abstinuit in pontificum christianorum tumulis inscribendis :

Heu situs est, heu, heu, venerabilis ille Bodetus,
 Præsule quo felix Lingonis ora fuit.
Relligio et pietas lugent Charitesque sorores
 Flent Musæ et laceris mœsta Minerva comis.
Ora rigat populus lacrymis, juvenesque senesque
 Et patriæ clamant occubuisse patrem.
Quod mortale fuit, parva requiescit in urna
 Corpus, mens vivit perfruiturque Deo [2].

Tanto amore in antiquitatis mores incenditur ut, christianis ritibus quasi repudiatis, amicos suos, paganorum more lugeat

Quos habuit quondam viventes una voluntas,
 Nunc vita functos, *urna* habet una, duos [3].

Alio epitaphii genere utitur in principibus tumulandis : nam ut diis immortalibus eos adæquare possit, mortuos deflet quasi adhuc vivos : Loysæ matris regis epitaphium tale est :

Heus tu, hoc summissa carmen lege voce, viator :
 Hic regis mater, Dia Loysa, cubat :
Hanc strepitu turbare cave : dormire putandum est,
 Nempe Deam et talem non potuisse mori [4].

Nisi forsitan excipias carmina quæ parentibus suis defunctis et quibusdam amicis dicavit, nihil in Borbonio invenire est quod luctum merum et sincerum spirare videatur.

Tentavit et elegiacum genus, sed ut qui misereri nesciat. Nihil me movet threnus ille quem de paternarum ædium incendio [5] condidit; nihil carmina de obitu Samii condiscipuli et de Francisci Delphini immatura morte [6], aut illa lamentatio de indigna et miseranda clade Francorum apud Neapolim [7]. Mœrorem, si quem expertus sit,

1. *Nugæ*, I, 163.
2. *Nugæ*, II, 5.
3. *Nugæ*, I, 101.
4. *Nugæ*, IV, 46.
5. *Nugæ*, II, 56.
6. *Nugæ*, V, 18.
7. *Nugæ*, II, 172.

exundati verborum profluentia et mythologicis imaginibus vitiavit ac diluit[1].

VII. — Carmina Borbonii de re litteraria.

Epigrammata aliquot scripsit probris atque maledicentia plena in quibus acriter insectatur juvenes formæ suæ impendio nimio indulgentes, bellos homunculos qui « blandula verbula fœminea voce fundunt et scalpunt molliter ungue caput », anus lascivientes, avaros senes, homines importunos ac petaces multosque alios quos longius dicere esset. Sed mores sui temporis proscindere mihi videtur ex veterum imitatione potius quam ex propria indignatione.

Hunc tamen rabies quædam, non composita quidem, sed genuina et peculiaris invehit in plagosos atque illitteratos pædagogos; « impostores monachos turpesque cucullos », sciolos ac jactitanculos quosdam poetas qui aliena carmina vulgo pro suis ostentant. — Illud vero notandum est Borbonium, in his illudendis, veris raro nominibus, sed plerumque fictis usum fuisse.

Charidemum quemdam inprimis impetit mordacissime, quem « loquacem et litteratorem improbum nuncupat, histrionem nequissimum, dignum patella operculum[2] » et quem ita ludificat :

Stultitiæ fili, doctrinæ nullius, effrons,
  Cur talem tanti te, Charideme, facis ?
Inter grammaticos jactas decreta Platonis :
  Si Plato quæratur, fis cito grammaticus :

1. Si scire velis quomodo elegiacum genus tractaverit, tibi sit documentum carmen de obitu Samii (*Nugæ*, III, 42).

Cingite funesta, Musæ, pia templa cupresso,
  Cingite pullato tegmine triste caput :
Non nisi lugubres referant modo plectra Camœnas,
  Defluat in sacros vestra querela sinus :
Atria sordescant bijugique cacumina montis,
  Ad fera discissis currite fata comis.
Adsis, Melpomene, lacrymis suffusa cruentis,
  Et tragicum querulo gutture carmen eat.
Huc propera mæsto lacerans præcordia planctu,
  Rumpe fides citharæ, tristis Apollo, tuæ.
Occubuit vester Samius, mortalibus ille
  Et Superis gratus : vester alumnus erat.
Intima stelliferi sensu penetrabat Olympi,
  Adfixus sacris nocte dieque libris :
Relligione Numam, antiquum gravitate Catonem
  Vicerat, et vates et bene rhetor erat.
Ante diem immites juvenem rapuere sorores,
  Nec sivere ultra currere fata colos.
Quam male fraudantur tantis hæc secula donis,
  O quam nunc merito luget uterque parens !
Set mea præcipue nunc luget Lingonis ora,
  Amissum hunc florem Lingonis ora gemit.
Lugeat hunc orbis merito tigresque cruentæ,
  Et madeant lachrymis marmora dura piis.

2. *Nugæ*, I, 43.

Et nunc grammaticum, nunc te facis ipse Platonem,
Nil homo grammatici, nilque Platonis habens;
Omnia novi (inquis), o perfectissime certe,
Si te, ut re vera es, noveris esse nihil[1].

Quis fuit ille grammaticus? Nonnulli existimarunt esse Johannem Cheredamum, inclytum auctorem *Grammaticæ Isagogicæ*[2], ideo quod Borbonius illud et epigramma ediderat :

Grammaticen scripsit græcam Charidemus eamque
Prædicat ostentans omnibus atque legens :
Asserit esse ipsis vel Athenis Atticiorem.
Mentitur : græcus num Charidemus homo est[3]?

De ea re querenti Cheredamo respondit noster :

Qui tibi dixerunt, Charidemi nomine ficto
Carminibus famam me lacerare tuam,
Ii fecisse fidem tibi si potuere, quid ad me?
Credule? Credulitas num tua, culpa mea est[4]?

Et ego credere volo in hoc rerum articulo credulum fuisse Cheredamum atque hæc Borbonii epigrammata ad alium quemdam grammaticum, doctum minus et minime spectabilem, attinere. Id enim animadvertendum est, eo tempore quo humaniorum disciplinarum studia reflorescebant, scolasticæ barbariæ fautores a Borbonio tantum fuisse impetitos : politioris autem litteraturæ propugnatores summis laudibus exornatos plerumque recessisse.

Laudatorem enim et quasi præconem renascentium litterarum Borbonius sese profitetur, continuoque bellicum canit in Barbariem :

Jam studiis inhiat totus melioribus orbis.
Quid fugitas? da, da, barbara turba, manus[5].

Si quem virum apud litteratos conspicit majorem clarioremque aliis, hunc statim studiosæ juventuti ducem præponit imperatoremque, ut ita dicam, salutat. Sic Erasmum, sic Budæum, Alciatumque, barbaria fusa profligataque, quasi triumphantes concelebrat. Nec sunt, quæ manant e calamo, vacuæ inanesque laudes. Pectus est quod poetam inspirat. Ad exemplum proferam hoc carmen quo Alciatus Valentiam ingressus salutatur :

O nos felices, o fausta Valentia, recte
Si quid in hac vita felix faustumque vocatur,
Alciatus venit, nostri certissima sæcli
Gloria, sanctarum callens enigmata legum :
Alciatus toto victurus nobilis orbe,

1. *Nugæ*, II, 44.
2. *Grammatica Isagogica Cheredami Sagiensis ex diversis authoribus ad studiosorum utilitatem multo labore selecta.* Ægidius Gourmontius, 1521, in-4°.
3. *Nugæ*, I, 98. — Vide etiam I, 99, 215.
4. *Nugæ*, VIII, 61.
5. *Nugæ*, I, 107.

Dum fluvii cursu vastum volventur in æquor.
Ille, inquam, Alciatus cui tres Hebræa, Latina
Græcaque sunt linguæ in promptu, cœlestia dona.
Heus! fuge, Barbaries, tuus ille acerrimus hostis,
Alciatus venit. Lætare, Valentia, tanti
Hospitis adventu, quo nil contingere majus
Utiliusve tibi potuit. Tu, juris amator,
Exsulta, juvenisque senexque et suspice numen;
Hic ille Alciatus, nodos doctissimus omnes
Solvere, ut interpres terris datus a Jove summo.
Denique non venit solus : comitantur euntem
Ingenuum Candor, Gravitas et suada Venustas,
Ipsa vel Superis pergrata Modestia divis,
Et posita in primis venerabilis ægide Pallas,
Tres Charites, Musæque novem facundaque Pitho [1].

Nec minore studio Macrinum Germanumque Brixium [2] prosecutus est. Dies me deficiat si carmina omnia recensere velim quibus æquales suos insignes necne cecinerit. Homines enim sui temporis qui in litteris et doctrina famam quantulamcumque sibi paraverant prope omnes probavit ac laudavit. Licet de nimia versificatorum sexti decimi sæculi multitudine alicubi questus sit [3], nemini unquam defuit sua castra secuto. Cuique versus gratulatus est; cuique rescripsit nihil suavius, nihil cultius, nihil unquam legisse jucundius versiculis. Ingenium cuique concessit, et scientiam, et facundiam, et modestiam et honestos mores. Si quis quoddam novum opus typis

1. *Nugæ*, III, 86. — Similiter in honorem Budæi hos versus condebat :

Ut Pater omnipotens hominum obbrutescere mentes
 Vidit, et in mores degenerare feros,
Pallada turbato discedere jussit ab orbe,
 Corrigeret populi dum malefacta sui :
Mox orbem omne genus, facto velut agmine, morbi
 Invadunt, passim corpora peste cadunt :
Regibus interea discordibus, omnia bello
 Miscentur, fuso terra cruore rubet :
Non secus ac segetem cum flamma furentibus Austris
 Incidit, ac totos depopulatur agros.
Hinc monstrum pejusque malum irrepsisse fatendum est,
 Barbariem, quæ nunc dat moritura manus :
Nam calamo arrepto tam sævam contudit hydram
 Budæus, quo nil clarius orbis habet :
Excitat hic homines lingua facundus utraque,
 Evocat a vitiis, erudit atque polit :
Verus ut interpres divum præstantior Orpheo,
 Saxa licet cantu traxerit ille suo :
Ecce bonæ redeunt artes, redeunte Minerva,
 Placato redeunt omnia læta Deo,
Redditus Hesperiis nobis Franciscus ab oris,
 Rex noster, doctis, doctus et ipse, favet :
Quid restat placidi nisi dona agnoscere cœli?
 Inque data reliquos vivere pace dies?

2. Vide supra, p. 17.
3. *Nugæ*, VIII, 16, 66.

mandabat, in ipsius libri fronte nonnullos inscribebat versiculos lectorem auctori conciliaturos [1].

Si quis vero occidebat ante diem, defunctum statim longo fletu prosequebatur et sepultum epitaphio decorabat.

Forte etiam accidebat ut inter se discordarent ejusdem causæ defensores. Tunc sese Borbonius interponebat in pacificationem. Illos, per Phœbum, per Musas, per Christum quibus placet concordia, orabat atque obtestabatur ut, ira omni deposita, dextras rursus conjungerent [2].

Ipse tamen cum quibusdam bonæ litteraturæ propugnatoribus interdum dissensit, sed eos mordaci versu nunquam lacessivit : e suis carminibus omni laude destitutos excludere satis habuit. Sic Stephanum Doletum, typographum illustrem litteratoremque non vulgarem, cum quo sane Lugduni societatem fecerat, ne semel quidem in Nugis aut in litteris nominavit, non ob aliam causam suspicor, quod erat ex iis qui Ciceronianorum nomen soli usurpaverant.

VIII. — Borbonius veterum et recentiorum poetarum æmulator et interpres.

Antiquitatis cultus et imitatio tam vehementer sexto decimo sæculo vigebant, ut nihil mirum quod veterum exemplarium conversioni aliquid temporis Borbonius impertierit. Plurima enim illius poematia non alia sunt quam græcorum scriptorum translationes in latinos versus. Nunc sententiam ex aliquo græco poeta aut philosopho depromptam convertit, verbum pæne verbo reddens [3]; nunc

1. In fronte elegiarum ab Alneto quodam recens editarum scribebat :

> Quisquis es, ore fave, et nova carmina candidus audi,
> Carmina Vindocinus quæ modulatur olor.
> Non semel et Musæ audivere et Phæbus Apollo
> Hoc melos, et positis obstupuêre lyris.
> Tale sacer vates, clarum cui nomen ab Alno,
> Edidit, ingratum nec fore sperat opus.
>
> V, 56.

Quis Alneti elegias hodie novit? — Laudativa carmina decentius inscripsit Borbonius in fronte carminum Clementis Maroti, in novis editionibus Martialis et Gellii, in epistolis sancti Pauli, in libro Sadoleti de laudibus philosophiæ, etc.

2. CLEMENTI MARATO ET JOAN. SAGONI.

> Parcite dentatis proscindere nomina chartis
> Vestra, o amici, parcite.
> Cur calami rabie et probris fœdisque libellis
> Laceratis alter alterum?
> Parcite, rixarum satis est : conjungite dextras :
> Redite tamen in gratiam.
> Pulcher amat pacem Phœbus doctæque sorores :
> Christo placet concordia.
>
> VIII, 81.

3. Multos locos in Nugis reperias quos auctor, ingenium suum quasi exercitaturus, transtulit ex Homero, Hesiodo, Theognide, Euripide, Demosthene,

parvulum quoddam carmen eligit quod « exprimit liberiuscule et quasi παραφραστιχῶς. » Æmulatur inprimis poetas minores [1].

Menandro ex Stobæo, Luciano, etc. Sic de novem Musis, ex Theogonia, hos Hesiodi versus : Εννέα θυγατέρες μεγάλου Διος etc. latine transtulisse gloriatur

Ter tres sunt Musæ, quæ magno sunt Iove natæ :
Clio, Euterpeque, Thaliaque Melpomeneque ;
Terpsichoreque, Eratoque Polymniaque Uranieque ;
Calliopeque : hæc autem alias longe auteit omneis.
VIII, 25.

Illud Homeri præclarum distichon ex lib. Iliadis nono sic obiter vertit.

ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς ’Αΐδαο πύλῃσιν
ὅσχ’ ἕτερον μεν κεύθῃ ἐνὶ φρέσιν, ἄλλο δε εἴπῃ

Quisquis lingua aliud loquitur, quam pectore sentit,
Non minus hunc odi, quam nigri limen Averni.
IV, 49.

Non minus est odio dignus quam Janua Ditis,
Qui loquitur, set non pectore sentit idem.
IV, 50.

Ore aliter quisquis loquitur, quam pectore sentit,
Hunc odi, tanquam limina, Pluto, tua.
IV, 51.

1. Sic ad lepidissimum illud Anacreontis carmen οὔ μοι μέλει Γύγεω adlusit in gratiam Antonii Olivarii, viri ornatissimi.

Nil curo regis aurum
Gygis : sino tyrannos
Habere opes, nec opto.
Curæ mihi est, odoro
Barbam Syroque olivo
Perfundere : atque vernis
Frontem rosis ligare.
Hæc hic dies monet me
Curare : nemo novit
Quid lux sequens vehat. Tu,
Vulcane, qua arte præstas,
Argentum mihi fac
Cratera, tam profundum
Quam tu potes, cavumque,
Circumque non ferentem
Martem aut pigrum Bootem
Mi sculpe. Quid mihi cum
Hujus modi ? set uvas
Vitesque fac virentes,
Lætoque cum Lyæo
Pulchrum puellum Amorem.
(*Tabellæ Elementariæ.*)

E græco Nicarchi illud tetrastichon mutuatus est :

Arma gerens Pallas, Venerem videt arma gerentem
Nunc pugnam, sodes, nunc ineamus, ait.
Cypria respondit, quam nunc audacula temnis
Armatam, cum te vicit, inermis erat.
II, 105.

Idem poemation gallice imitatus est Carolus Millevoye.

Pour divertir le céleste séjour
De son amant, Cythérée, un beau jour,
Prit et l'armure et la marche hardie.
Pallas rougit, croit qu'on la parodie,
Offre un cartel à la mère d'Amour,
Et veut aux Dieux donner la tragédie.
Cyprine alors en ces mots l'éluda :
« Oubliez-vous votre déconvenue?
Dans notre lutte au pied du mont Ida.
Je vous vainquis, et pourtant j'étais nue. »

Nec minore studio latinos sectatur. Sic Catulliano more passerem amicæ suæ deflet :

Mortuus in parva est inventus pyxide passer,
  Passer, amor pulchræ deliciumque Rosæ.
Longe aliter periit quam quem tua Lesbia deflet,
  Lesbia, pars animæ, docte Catulle, tuæ.
Non hunc esuries, non hunc sitis arida pressit,
  Insidiæ nullæ, nullus acerbus odor.
Cum desiderio nimioque arderet amore
  Absentis dominæ, tabuit et periit [1].

Ad exemplar Virgilii joco *sic vos non vobis* poetam furacem illudentis, Borbonius quemdam scriptorem « suorum carminum suppilatorem » ita ludificat :

Composui versus quos nunc sibi vindicat alter :
Sic profert segetes, non sibi, pinguis ager.
Sic excelsa struit, non sibi, tecta faber.
Sic nidum volucris, non sibi, verna facit.
Sic medicas herbas, non sibi, terra parit.
Sic mola gyrando, non sibi, farra terit.
Sic navis varias, non sibi vectat opes.
Sic pastor servat, non sibi, nocte greges.
Sic numos cumulat, non sibi, dives egens.
Sic juvenis demens, non sibi, vivit amans.
Sic bos, sic fortis, non sibi, sudat equus.
Sic diversa parat, non sibi, jura coquus.
Sic candela ardens, non sibi, lumen habet.
Sic lac uberibus, non sibi, mater habet.
Sic lanam mitis, non sibi, portat ovis,
Sic mel nectareum, non sibi, stipat apis.
Sic retinet leporem, non sibi, dente canis.
Sic gramen lætum, non sibi, prata ferunt.
Sic lecti pedites, non sibi, bella gerunt.
Sic auri mulus, non sibi, portat onus.
Sic horti bonitas, non sibi, præbet holus.
Sic scribit versus, non sibi, nostra manus [2].

Nemo dubitare potest quin in illo carmine poeta lepidi et exquisiti joci modum excesserit lusumque Virgilianum inani verbositate

1. *Nugæ*, I, 233. — In alio libro Nugarum idem Catulli poemation pressius, sed subtilius imitatus est. Sic incipit carmen :

Gaudete, o Veneres Cupidinesque,
Et quantum est hominum politiorum :
Nisus victor adest meæ Rubellæ,
Nisus delitiæ meæ Rubellæ,
Quem plus diligit hæc suis ocellis,
Nisus, qui inter aves venustioreis
Tanto nobiliorque pulchriorque
Quanto nostra alias Rubella nymphas
Et vultu anteit et nigris ocellis :
. . . .

2. *Nugæ*, IV, 76.

adulteraverit. Multo inferiorem fateor Borbonium scriptoribus quibus æmulatur; sed eum tamen non annumerandum censeo iis imitatoribus quos Flaccus vocavit *servum pecus*. Faciem propriam et virtutem quasi genuinam, etiam in imitando, plerumque retinuit. Neminem expilavit : aliena carmina pro suis nunquam ostentavit : inde fit ut multum invaluerit in poetis furacibus irridendis, præcipue quodam Leptico, impudenti Maronis Nasonisque compilatore.

Forte tuum librum sum nactus, Leptice ; legi,
  Et jucunda mihi lectio tota fuit :
Carmina sunt illic vel summo digna Marone,
  Qualia vel Naso composuisse velit :
Non potui risum, pulmone agitante, tenere,
  Nec risum comites continuere mei.
Risimus egregie et varias agnovimus alas,
  Se quibus exornat Lepticus atque volat :
Mox (ut sæpe solet transire ad seria risus)
  Festinat pennas carpere quisque suas :
A capite ad calcem disrumpitur omne volumen,
  Viscera sunt misero dilaniata libro :
Nulla libri superest facies et pagina nulla,
  Relliquias atri fulminis esse putes :
Nulla tibi infelix facta est injuria, flere
  Desine, dignus eras his graviora pati :
Nomine Lepticus es, re *Clepticus ;* unica cunctis
  Addita significat littera qualis homo es [1].

Nec antiquos modo æmulatus est noster; recentiorum etiam carmina in numeros latinos transtulit; quædam e græco Politiani, Tusani et Samii [2], quædam e vernaculo Petrarchæ [3] et Maroti; [4] quin etiam veteres Galliæ poetas licet elegantioris musæ rudes,

1. *Nugæ*, III, 139.

2. Carmina circiter quinquaginta e græco Samii in latinum convertit. Nihil de illo poeta comperti est, nisi quæ condiscipulus Borbonius in Nugis dixerit, scilicet Samium fuisse Lingonensem, in utraque lingua præstitisse, inopia laborasse et obiisse ante diem. Multa scripsit amatorie, multa flebiliter ; condidit et plurima epigrammata quæ cum Nugis Borbonii minime discrepant. Quinimo tantam inter se habent similitudinem utriusque poetæ carmina, ut ea dicas ex uno et eodem scriptore emissa.

3. Ex. vernaculo Petrarchæ de Laura, VII, 51.

Parva, viatores, hæc est, quam cernitis, urna :
  Nil tamen hoc majus, quod capit, esse potest.
Vicit amata stylum linguamque omnesque labores,
  Et quicquid potuit verus et acer amans.
O felix anima, ecquis te laudaverit unquam
  Talem? Nemo, nisi qui tacet atque stupet.
Nam nisi laudantis sermo, id quod laudat, adæquet,
  Ingrata hæc nullum gratia pondus habet.

4. Clementem Marotum Borbonius plurimi faciebat, idque ipse testatus est hoc loco epistolæ ad Guillelmum Bostonum : « Rhytmos seu numeros, leporum ac gratiarum plenos Clementis Maroti Cadurci, ingeniosi hominis, ad te mittam

non omnino repudiavit ac respuit. In illo carmine quo vitam humanam deploravit, Villonis næniæ quæ sic incipit *Dictes moy ou n'en quel pays* meminisse videtur :

Nunc ubi magnanimi heroes ? regesque ducesque ?
Cæsar ubi et Priamus ? Teucrumque acerrimus Hector ?
Et pius Æneas ? Ubi nunc facundus Ulysses ?
Et gemini Atridæ ? Romanæ conditor Urbis
Romulus ? et totum quamvis pacaverit orbem
Augustus ? Tantoque potens ubi robore Sanson ?
Nunc ubi Sylla ferox ? Ubi princeps ille Latini
Tullius eloquii ? Vatum fons vivus Homerus ?
Musarum princeps, Romanæ gloria linguæ,
Virgilius ? Nasoque tener doctusque Catullus ?
. . . .
Omnes præcipites sorpsit Mors turbida fato
Et tulit in cineres. . . . . [1].

IX. — De sacris poematibus Borbonii.

Nec tantum a profanis litteris, a sacris etiam multa mutuatus est. Disticha nonnulla, in Nugis, reperias quæ de sanctis Evangeliis aut de Patribus expressa sunt. Sic Christum Borbonius induxit ita loquentem :

Aer, Terra, Fretum, Sylvæ, Mons, Ignis, Olympus,
  Omnia transibunt, sed mea verba manent [2].

Simili modo sententiam quamdam Joannis Chrysostomi, in Homilia XXVI : *Sufficiat diei sua afflictio*, carmine ita ligavit :

Quæque dies adfert multos satis ipsa labores :
  Ne qua futurorum adfligat nos cura malorum [3].

Nonnullas etiam preces, quibus Deum invocare solemus, et in primis precationem dominicam, id est *Pater noster*, carminis modo inclusit :

O Pater omnipotens clarique habitator Olympi,
  Laudetur merito nomen honore tuum :
Adveniat regnum, tua sit rata ubique voluntas ;
  Fiat et in terra, sicut in arce Poli ;

brevi, ne desit tibi, quo pulmonem ridendo exerceas. » — Ad puellam, ex vulgari carmine Maroti, Borbonius scripsit :

Olim qui Veneris vultum depinxit Apelles,
  Maximus et primus fertur in arte sua.
Ecce tamen genitor tuus est præstantior illo,
  Cujus peniculo facta puella Dea es.
Illa quidem multos urebat Apellis imago,
  Atque aliquot juvenes cepit amore sui.
Non habuit tamen unde suos restingueret ignes : II, 7.
  Tu simul inflammas et medicamen habes.

1. *Nugæ*, III, 71.
2. *Nugæ*, I, 50.
3. *Nugæ*, VII, 69.

Da nobis hodie panem et nos exime noxæ,
Ut veniam nostris hostibus usque damus.
Nec sine tentando Stygius nos opprimat Error;
Fac animas nostras ut mala nulla ligent [1].

Quosdam etiam Davidis psalmos non sine nitore et elegantia interpretatus est : quæ res manifeste judicatur ex illo carmine quod deductum est CXII psalmo sic incipiente : *Laudate, pueri, Dominum; laudate nomen Domini.*

O servi Domini, Dominum laudate tonantem :
Omnis laus illi cedat, et omnis honos.
Solis ad Occasum Dominus laudetur ab Ortu,
Quantum hujus mundi machina lata patet.
Quis Domino nostro similis, regum atque gigantum ?
Aut quis ei in summa proximus arce sedet ?
Hic nutu terrere potest vel quicquid Olympus,
Quicquid habet tellus, æquora quicquid habent.
Hic superat stellas atque omnia sidera longe :
Præ quo, Phœbe, tuum lumine lumen hebet.
E cœlo tamen in terris quæcumque geruntur,
Perspicit observans ipsaque corda videns.
Sublevat adflictos, miseris succurrit et ægris :
Squallentemque inopem tollere gaudet humo.
Contemptumque hominem primores inter et inter
Electos populi vult habitare sui.
Et matrem gaudere facit, sua pignora circum,
In vacua sterilis quæ fuit ante domo [2].

Multa etiam offenduntur, multiplici ac vario genere composita, carmina, quibus facile probari potest Borbonium, pro conditione temporum, maxime præstitisse inter christianos poetas, non modo eruditis verborum figuris, sed etiam gravitate sententiarum. Quæ quidem, licet nugas esse negaret, octo *Nugarum* libris tamen inseruit : nec mirum, cum ea minus genuinæ pietatis odorem quam latinæ antiquitatis redoleant.

In odis asclepiadæis aut sapphicis quas in honorem Christi Borbonius edidit, crederes christianum audire Flaccum :

Rerum magne pater, ter Deus unicus,
Æterno moderans imperio, suis
Quicquid tota capit machina finibus,
Exaudi, Deus optime.
Ad te perfugimus carmine supplici,
Et votum numeros offerimus pares,
Aspernare minus vota precantium et
Depromptas animo preces.
Peccati nimio pondere lædimur,
Jactamur tumido præcipites freto ;
His nos exonera sordibus impios,
Dulcem mitte Favonium [3].

1. *Nugæ*, I, 190. — Similiter in latinos numeros vertit consecrationem mensæ (id est *benedicite*) atque *Gratias*.
2. *Nugæ*, VI, 85.
3. *Nugæ*, III, 135.

Præter id quod pietas christiana non semper bene congruit cum numero profano, id quoque Borbonio vitio dari potest, quod, in orando Christo, non omnino deos antiquitatis repudiaverit nec intempestivum judicaverit in sacra sua carmina inducere *Auroram roseis pulchram exorientem quadrigis*, *furentem Megeram* [1], *Stygios dolos*, *Acherontis umbras*, *horridas Averni latebras*, *Bacchi latices*, *Cereris munera* [2], etc. Et, ut ad exemplum veniam, in illa precatione ad Deum Omnipotentem, ambigitur interdum utrum Christianus an paganus loquatur :

> Omnia qui nutu potes et regis omnia solus
> Et cui se mundi machina debet opus :
> Qui lucem tenebrasque facis, qui fulmina torques,
> Quem præter, nullos credimus esse Deos,
> Cui parent germanæ *Erebi tria numina Parcæ*,
> Exaudi, ex animo te precor, alme pater,
> Da meus illustri veniens Jacobus ab ortu
> *Elysios* vivat *Mygdoniosque dies* [3].

Sed de hoc nimis multa : ne plus æquo objiciamus Borbonio vitium, quod potius sæculi quam hominis esse constat.

X. — De poemate cui titulus *Ferraria*.

Ex omnibus Borbonii carminibus, illud mihi primum locum obtinere videtur poema cui titulus *Ferraria*. Ait poeta se tantum XIV annos natum *Ferrariam* scripsisse. Verisimile est Borbonium post longam oblivionem opus suum retractasse, multa retinuisse, plura transiisse, alia transcripsisse atque ita velut membra nova jam adulto corpori intexuisse, nec tamen priora turbasse [4].

Ex illius carminis lectione nemo diffiteri potest Borbonium ingenio facillimo et promptissimo ad res describendas, sed ipsa sua facilitate et eruditis verborum figuris sæpius abusum. Adde quod in eo flaccescit nonnunquam inventio. Nam, cum primo animi impetu materiem pulchre aggreditur et animosius fertur, mox tanquam ventus hominem deficit nec principiis satis postrema respondent. Quidquid id est, in ipsa Ferraria plurima invenies quæ, si cum delectu decerpseris, non forsitan dedignabere.

Fingit poeta se, adversa nocte, vidisse Vulcanum. Quem cum comitantur Cyclopes unoculi, oblatam sibi occasionem avide amplec-

1. Vide Passionem Christi, *Nugæ*, V, 11.
2. In natalem Christi, *Nugæ*, I, 78.

> Qui (Jesus) quaterdenis Cererem diebus
> Nec tuos, Evan, latices recepit.

3. *Nugæ*, II, 193.
4. Ferrariam scripsit anno MDXVII ; typis mandavit primum anno MDXXXIII, id est sexdecim annis interjectis.

titur scientiæ suæ grammaticæ ostentandæ, atque ad etymologicen conversus, inquirere cœpit unde nomina sua Cyclopes duxerint :

Recte appellatos : Steropes a fulgure, Brontes
A tonitru : nomen sortitur ab igne Pyramon.

Sed jam increpat Vulcanus, exprobans poetæ segnitiem :

. . . Puer, inquit, inique, patrisque
Immemor et patriæ, cur tempus segniter istud
Conteris ? et pulchrum sine fructu prodigis ævum ?
Et patris interea retices nomenque decusque
Ingeniumque tui, fabros qui in pace gubernat
Accingitque suos ad opus, moderatur alitque
Providus, et gaudet sua reddere præmia cuique
Infelix ; patrii cur non reminisceris agri ?

Borbonium igitur Deus vocat ad ferrariam celebrandam et, ne forsitan tantam materiam poeta dedignetur, Vulcanus quem quoque scabies quædam poetica sollicitat, ferri commoda et incommoda canere cœpit. « Ferro, inquit, scinditur inculta tellus ; ferro secantur segetes, plantæ et uvæ : ferro ædes tolluntur et saxa aspera cæduntur. Sed ferrum est fructus et pernicies, vita et exitium ferentis. Ferro utimur ad cædes hominum et funebria bella : ferrum convertimus in tormenta. Non est tamen ferrum in culpa, sed cæca libido impietasque insignis hominum ». — Ne quid plura, Deus poetæ iram minitatur nisi statim carmen aggrediatur.

Deo jubenti paret Borbonius atque a Vandopera exordium capit, non beneficio dimisso novæ etymologiæ emittendæ.

Vandoperæ locus est, cujus Ferraria nomen,
Incumbens Barsæ fluvio septusque viretis,
Haud procul a turri quam quondam Vandala pubes
Struxit, ut historiæ et veterum monimenta loquuntur :
Hinc et Vandoperæ facta adpellatio terræ,
Lingonicos inter fines non laude carentis.

Ad silvam deinde transit, lignatorumque labore descripto, carbonarii opus accuratissime omnibus ex partibus persequitur. Et mirum quam presse, quam curiose, quam eleganter materiam tam exilem et arduam tractaverit :

. . . . Pyram lateque patentem
Congeriem struit et patula radice rotundam,
Culmine pyramidi similem, mox fronde virenti
Faginea quernaque tegit, cineresque nigrantes
Et pingues spargit, nec tum obruta ligna patescunt,
Atque ubi tempus adest, quo vult immittere flammam,
Rima latet subter certa atque angusta, subestque
Hac iter in medium struis, atque hac mittitur ignis.
Mox iterum rima hæc foliis terraque tenaci
Undique stypatur ; vento via nulla, nec auræ
Linquitur, ipse intus frustra permurmurat ignis

Aera disquirens magnoque fragore minatur :
Hinc simul erumpunt tanta caligine fumi,
Tam grave spirantes quam qui de faucibus Orci
Aut illi quos (ut fama est) perterritus olim
Misit in Alciden Cacus, Vulcania proles.
Huic operi septem soles totidemque necesse est
Impendat noctes vigilans, imbresque futuros
Præcaveat flatusque Austri cœlique figuram
Observet Pliadasque : nihil pigra plaustra Bootis
Hunc fallunt : nihil hunc fallit nimbosus Orion :
Instabilem lunæ faciem percallet ad unguem.
Interea coquitur carbo . . . .

Hos quidem versus in quibus poeta omnia quæ ad artem carbonariam pertinent oculis quasi subjecit fidelibus, laudoque proboque; sed a recta via mihi deflectere videtur, cum, fabula rursum adhibita, carbonario suo Rhodopei Orphei habitum et artem accommodat :

. . . . Utrem
Inflat prærudibusque modos integrat agrestes
Articulis; stupefactarum tum densa ferarum
Agmina conveniunt hominemque audire canentem
Silvestrem Musam (dictu mirabile) gaudent,
Capreoli, cervique leves *damœque* fugaces
Raptoresque lupi, villisque horrentibus *ursi*,
Et vulpes, curvisque timendi dentibus apri :
Arrectis omnes mirabundæ auribus adstant,
Concordesque feræ et cantu fera pectora mulcent.

Quo poetam incautum non perducit nimius antiquitatis amor? Damas et ursos in silvas Vandoperanas Borbonius inducit, quamvis compertum habeat his semper animalibus patriam suam caruisse! Quin etiam operi suo purpureos, late qui splendeant, pannos assuit, cum silvestrium mores atque bona ad exemplar Virgilii concelebrat, et indignatione aliena suæ ætatis vitia increpat. Credidit forsitan punctum tulisse : ego autem ægre fero quod tritis obsoletisque locis rem bene inceptam intempestive ita interceperit.

Ad ferrariam tandem longo circuitu reversus lectorem docet qui sit fossorum labor; quomodo possint videndo scire quæ terra ferrum contineat, quibus indiciis distinguatur excellentia ferri. Nec ea sunt temere et inconsulte dicta. Sunt qui Borbonii *Ferrariam* præstantissimum existiment monumentum, quo certissimum documentum capere possimus qualis fuerit apud majores nostros ars metallica [1]. Non nostrum viri auctoritatem perpendere. Quocirca non poetam prosequemur minutim disserentem de re ferraria. Nobis tamen liceat hos versus expromere quibus fornacem paternam descripsit :

Quadrata est ingens Barsæ prope fluminis undam
Infabricata quidem moles, quam nomine dicunt
Fornacem, structa est saxis vulgaribus : intus
Sunt silices duri, quibus est mirabile robur,

1. *Ferraria* interpretata est gallice a D. Duquesnoy, ad usum fodinarum præfectorum, atque inserta operi dicto *les Annales des Mines*.

Visque resistendi flabris ignique voraci :
Hic gemini folles a tergo immania spirant
Terga boum, vibrante rota, quam versat aquarum
Impetus assidue : motantur stantque vicissim
Et flant et reflant, alternis motibus æqui.

Et illos quibus fusoris opus exposuit :

Adcubat hic fusor : sic illum nomine dicunt.
Excipit hic solers massam, quod fusile ferrum
Dicitur atque regit ventos lituisque prehensis
Ferreis emungit squamas et perdomat ignes :
Seligit impurum puro, noctesque diesque
Pervigilans, homo durus et omnia ferre paratus :
Huic vix sesquihoram toto dormire bimestri
Continuam esse nefas perhibent, quo tempore fornax
Visceribus manet integris, follesque supersunt
Fortes, qui fessis succurrant flatibus, et qui
Fornacem renovent, atque ignis ut acrior instet.
Hic rivis fluitat ferrum sævoque boatu
Stricturas vomit et piceo cum turbine flammas
Ingentesque globos, quos lambere sidera credas.
Haud aliter quam sulphureis ardoribus Ætna,
Cum fessum latus incassum sub pondere tanto
Nititur Enceladus motare, atque impos anhelat.
Fit tonitru, exsuperant flammæ, circumfremit æquor.
Carbonem interea qui materiemque ministret
Fornaci, simul ac vasto decrevit hiatu,
Fusori comes est : is in ipso culmine custos
Vir stabulat vigilax vultuque habituque Charonti
Persimilis. Sunt artifices qui plurima fingunt
Vasa luto primum tornatim : denique formis
Infundunt ferrum : quin et (mirabile visu)
Bombardas conflant . . . .

Illud enim notandum est bombardas ac tormenta, quibus, sexto decimo sæculo, Trecenses Campani usi sunt, Vandoperæ fere omnia fuisse fabricata[1]. Qua de re, Borbonius, qui non impune grammaticus dici potest, *Dæmonem Stygium* et *Mulciberum* versibus vicissim interponere nititur. Nitore tamen non fucato extremum perpoliendi ferri laborem describit :

. . . . Succedunt protinus acres
Ipsum qui extenuent poliantque : hic ferreus ille
Malleus est ingens, quem maxima tollit aquæ vis.
Calfaciunt iterum impigri, versantque per ignes
Forcipibus duris ferrum, candensque paratis
Immergunt lymphis : Chalybes imitantur apud quos
Bilbilis est amnis, qui ferrum temperat et qui
Ductilius reddit fabricandisque ensibus aptum.
Perdomitum flammis rapiunt portantque sub ictus
Terrificos, quibus et regio strepit omnis et æther,
Et montes circum et late nemora alta resultant.
Mirifice hic massam extendi ducique videres
In tenues longasque trabes, ceram esse putares.

1. Vide Boutiot, *Histoire de Troyes*, t. III, 335.

Utinam hanc finem carmini suo imponat Borbonius! sed dum epilogum grandiorem consectatur, nubes et inania captat. Nam postquam Borbonii pater, exacta hebdomade, præmia cuique persolvit [1], ecce per popinas sese effundunt fabri nec curant ut, in poculis aut conviviis, totam pecuniam una die absumant.

Quid mirum? procerum vitam moresque sequuntur;
Sopitis etenim sic grex pastoribus errat.

Tum, data occasione, poeta in pravitatem et luxuriam optimatum invehitur, atque in se respiciens, ingenuitatem suam ac candorem fere sibi exprobrat. Quid enim vera profatur? Quid non dissimulat? Cur non ubique blanditur? Cur non favorem procerum sollicitat? cur non artes excolit quibus possit evadere dives, vivere securus, pretiosa veste nitere? — Sed quorsum hi gemitus? quorsum hæc desideria?

. . . . Satis est Virtus, satis unica Virtus
Una satis Virtus et mens sibi conscia recti.
Præterit ut ventus mundi illectantis imago,
Transversosque agit et specie deludit inani.

Concludit poeta monendo pueros ut librum suum commendatissimum habeant :

Vos, inquam, o pueri, veniam date, parcite vestro
Borbonio, parvumque boni et puerile poema
Consulite : hæc fuerint nostræ præludia Musæ.

XI. — Pædagogium sive carmen ad pueros de moribus.

Nisi dicendi genus spectemus, haud plane perspicio quid ad utilitatem puerorum *Ferraria* conferat. Est aliud Borbonii carmen multo efficacius ad formanda adolescentium studia et mores, quod dicitur græce παιδαγωγεῖον et latine *pædagogium* aut *pædologia*. In quadam epistola [1] narravit Borbonius quemadmodum sibi venisset in mentem illud poema inchoare.

Id aggressus est tempore quo pene adolescentulus in schola Trecensi adhuc assidebat. Ludimagister enim, cum videret Borbonium supra omnes condiscipulos proficere, puerorum aliquot æqualium curam huic demandavit, ut eos, dum ipse doceretur, doceret. Homuncio noster, applaudente ipso subinde præceptore et currenti calcar addente, non veritus est aliquando virilem personam induere atque

1. Is, ne quem imprudens fraudet mercedis honore,
Scripta habet in libro rationum cuncta suorum
Nomina; se falli non vult nec fallere quemquam.
Sic habet in promptu quod quisque labore meretur.

2. *Nugæ*, V. Epistola liminaris.

adeo tanquam perfectus gymnasiarchus gregi suo quædam perscribere. Luxuriante materia styloque pruriente, scribendo primum incaluit, sed, cum musa sensim tepesceret, manum de tabula tollere maluit quam periculoso argumento diutius immorari. Multis annis interjectis, hoc carmen quale intermiserat, cum forte in manus incidisset cæteras chartas revolventi et confusas schedas recognoscenti, regustavit obiter et, cum rursus arrisisset, in lucem emittere statuit, paucis versibus additis.

In illo carmine quod ad genus didacticum pertinet, Horatium Borbonius sectari et æmulari videtur. Quidquid præcipiat, brevis esse laborat, ut jubet Flaccus, et, more Flacci, præcipit ordine nullo. Sic orsus a pietate vitæ cultum et munditiam adolescenti cuique commendat : inde, rebus scolasticis summatim tractatis, ad pietatem redit. Disserit deinde carptim de grammatica, de arte dicendi et respondendi, de pœnis ac præmiis, de auctoribus legendis, de otio, de requie, de linguarum utilitate, de ludo, de cura valetudinis, de vitiis quibus juvenes laborare solent, etc. Hæc omnia inordinate fuisse scripta non diffitetur :

Et licet hæc propere vobis atque ordine nullo
Præcipiam, spero non nocitura tamen.

Quinimo ne argumentum quidem poematis pro suo vindicat. Lectorem vult admonitum se ea præcepta accepisse ab homine elegantioris musæ rudi, sed retractata rescripsisse qualia cultior ætas postulare videretur :

Discipulis carmen dederat de moribus ante
  Ingenio quidam tardus et arte rudis.
Non sum ego fortassis dignus qui comparer illi :
  Me pondus terræ, me nihil esse scio.
Etsi illo melius nihil hic egisse videbor,
  At volui certe : sat voluisse satis.
Hæc ego vos propter sacris e fontibus hausi,
  Tam pius est in vos, tam meus acer amor.

In epistola liminari ad Lectorem benevolum, Borbonius non sine quadam voluptate et superbia commemorat illud carmen hominibus οὐκ ἀμούσοις perplacuisse : quippe qui judicavissent *Pædagogium* non modo dignum quod typis æreis et stanneis excuderetur, verum etiam quod aureis litterulis vel potius, si fieri posset, igneis characteribus omni puerili pectusculo insculperetur. Nec longe abfuit quin res ita cesserit : nempe Joannes Caurresius, Ambianensis pædagogii moderator non vulgaris, idem poema ad usum juventutis, enarrationibus scholiisque suis additis, accommodavit[1]. Sed quidni ipsius

1. Joannis Des Caurres Ambianensis pædagogii moderatoris ad vulgarem popularemque sensum accommodatæ enarrationes in Nicolai Barbonii Vandoperani poetæ clarissimi libellum de Moribus in puerorum gratiam ad illustrissimum Cardinalem Antonium a Crequy. — Parisiis apud Joannem Bene Natum, 1571 (Bibl. Nat., Y, 1571).

Caurresii de Borbonii opusculo verba referam? — « Cum in tanta illorum turba, qui et veteri et nostra ætate circumferuntur, poetarum, unum pervestigassem qui in eam rem et facilior et lectu scituque dignior videretur, forsan, ut fit, in Borbonii illius nostri sæculi haud pœnitendi poemata incidi, in eumque, præter cætera ejus opera, libellum, quem de puerorum formandis moribus inscripsit. Quem cum ad unguem perlegissem, et huic religiosæ provinciæ impositæ non mediocre conducibilem et accommodum esse, meo quidem judicio, perspexissem, utpote quo et philosophorum moralium scita quam plurima, et laus omnis virtutis, morumque degenerum censoria castigatio atque multa saluberrima christiana præcepta ex sacris paginis desumpta, oratorum denique et poetarum (ex quorum omnium disciplina egregiam adolescentium indolem, sanosque mores comparari diximus) vis et facundia continentur : quo tamen faciliorem magisque perspicuum ac popularem puerorum captui redderem, in eorum gratiam non detrectavi horis successivis aliquot scholia, commentarioli vice, ex optimis quibusque grammaticis in eum colligere. »

Non minus honorifice, de eodem carmine sensit Lambinus, cum scripsit [1] : « Nicolaus Borbonius, cum argumentum humile et pusillum de puerorum moribus tractandum suscepisset, sermonis et carminis genere usus est ad rem accommodato, verbis ac numeris aptis, ornatum omnem eminentem, ut indecorum, reformidans; ab omni graviore et splendidiore loquendi figura abhorrens; decorum in omnibus partibus et usquequaque servans. *Cum multis autem aliis de causis hic scriptor sit lectione dignus, tum hoc maxime nomine legendus est, quod princeps et solus argumentum tractavit aliis intactum.* Non enim eos numero neque eorum rationem habeo, si qui aliquando tale quiddam conati sunt, cum proinde haberi debeat, ac si nunquam quidquam ab eis scriptum esset. Atque hæc laus est non ultima, loca avia peragrare, vias tritas relinquere, et eas res versibus exornare, quarum lectio non solum jucunda, verum etiam utilis illi ætati sit futura... »

Sed de *Pædagogio* hactenus. Nobis inferius explorandum erit idem Borbonii opusculum, non jam quomodo didacticum genus animo conceperit quæsituris, sed qualia præcepta in docendo tradiderit.

XII. — De Tabellis elementariis.

Anno MDXXXIX Borbonius Lugduni edidit libellum cui titulus *Tabellæ Elementariæ pueris ingenuis pernecessariæ* [2]. « Hoc opusculum,

1. Vide *Joannis Des Caurres enarrationes*, procœmium.
2. *Tabellæ elementariæ*, etc., Parisiis, Simon Colinœus, 1539, in-8° (Bibl. Nationale). — *Idem*, Lugduni. Frellæi fratres, 1539, in-8°, 46 f° (Bibl. Nationale), ex libris Joannis Pellissonnis.

ait. Tabellas elementarias inscribi placuit propterea quod enchiridion illud, quod rudes et elementarii pueri primum omnium habent in manibus, vulgo Tabellæ appellentur. » Id genus liber hodie vocatur *Manuale*, *Memento* aut *Vade mecum*.

In suo libello qui paginas centum non excedit plurima ac diversissima coegit Borbonius : namque in eo reperias :

1° Prima rudimenta grammaticæ græcæ et latinæ;

2° Brevissimas Christianæ doctrinæ institutiones;

3° Carmina nonnulla sacra ex ejus operibus deprompta;

4° παραγγέλματα seu moralia præcepta ex avo Joanne Borbonio collecta;

5° Funebrem laudationem poetæ Brixii Germani Altissiodorensis:

6° Levia poematia in studiosorum adolescentulorum gratiam composita;

7° Epistolam Borbonii ad Rubellam quam vocat « suam columbellam, suum mel, suum saccarum » et cui plus millies valedicit.

Sic paucis verbis puer eruditur in utraque lingua, religione, poesi, moribus, atque etiam (quod forsitan mirabere) in triplici arte jocandi, ludendi amandique.

Quamvis linguæ græcæ et latinæ magnam libelli partem dicaverit, justam grammaticam minus quam grammaticæ lineamenta scripsit Borbonius. Ipse enim habebat in mente, cum in scholis fere nullus liber græce versaretur nisi *Institutiones grammaticæ Theodori Gazæ*, et latine nisi *Donati de octo orationis partibus et barbarismo libellus*, aut *Alexandri Doctrinale*, aut *Joannis Despauterii grammatica*, puerorum mentem irretitam sæpius et impeditam adjuvare ac sublevare. « Cavendum est enim, ait, ne præceptiuncularum turba puerilis ingenioli teneritudinem obtundamus... Ex innumeris grammaticis qui de labyrinthis justa volumina conscripserunt pauca sunt admodum decerpenda quæ pueris nostris degustanda proponamus... Tabellas, non justam grammaticam scribimus. »

In eodem libello Borbonius lectorem monet se opusculum parturire de syllabarum constitutione metricisque morulis ac temporibus deque variis pedum generibus versuumque mensuris et eorum usu, quod, ubi satis maturuisse videbitur, in communem studiosæ juventutis usum edere non dubitabit [1]. Nescio an hoc opusculum ad exitum unquam perduxerit.

His scriptis non hic diutius immorabimur : nam, cum de puerorum institutione non solum in *Tabellis elementariis*, et *Pædagogio*, verum etiam in *Nugis* aut in Epistolis disseruit, statuimus ea quæ de hac materia hic illic sparsa sunt, ita in unum coacta exponere, ut quam apertissime appareat qualis fuerit in docendo auctoris sententia.

1. In epistola ad Rubellam Borbonius scripsit : « Artem versificandi nondum absolvi. »

XIII. — De quibusdam opusculis Borbonii ineditis aut perditis.

In septima epistola liminari Nugarum (edit. Gryph.) Borbonius ait se retinere in arca quædam opuscula quæ limam adhuc expectant : duas scilicet sylvas : alteram ad christianissimum regem Franciscum, alteram ad serenissimum Henricum VIII, regem Britannorum, — ludicrum præterea poemation in bellos homunculos qui soli hominum Ciceroniani nomine haberi volunt, — item opusculum iambico carmine conscriptum cui inditus est titulus Homo nemo. In prima sua epistola ad Tuanum *Harpocratem* poema parturire nuntiat, quod sibi honori et studiosis omnibus voluptati fore sperat, atque lectorem hoc tetrasticho, quasi præfatiuncula, admonet :

Multa meis Nugis admixta, ut seria, lector,
Gaudeo et esse oculis utraque grata tuis.
Set si Borbonium vis nosse, valere jubeto
Seria cum Nugis *Harpocratemque* lege.

In epistola qua Joannes Borgio octo Nugarum libros clausit, de *Harpocrate* etiam agitur : sed illud opusculum aliaque poemata aut inedita aut perdita fuisse valde suspicor.

PARS TERTIA

QUID DE PUERORUM INSTITUTIONE SENSERIT BORBONIUS.

I. — Quantum peccatum sit sexto decimo sæculo in institutione puerorum.

Satis convenit inter pædagogos ea quæ reprehenduntur in puerorum institutione plerumque esse imputanda cæcæ parentum indulgentiæ et magistrorum inscitiæ. Ea mente Borbonius, dum *Pædagogii* procœmium scribebat, suæ ætatis juvenum mores acriter insectatus est : « Proh Deûm atque hominum fidem ! Quales hodie videmus pueros quorumdam Christianorum filios ? Quales, opinor, nemo unquam vidit apud profanas ac barbaras nationes, quæ Deum non noverunt. Pusio unus tredecim annos natus, plus fraudis, plus doli mali callet quam, patrum nostrorum memoria, decem robustissimi juvenes. Item puella una hodie saltatricula vixdum lacte depulsa, lascivior, morosior, astutior, et (ne quid aliud dicam) nasutior est, quam olim virgo jam matura viro, jam plenis nubilis annis. Quid causæ est ? Nescio. Deus scit. Pueri ante tempus adolescunt : adulti voluptatibus effœminate diffluunt : mox vix viri præmatura senectute marcescunt. Tales sunt hodie plerique omnes, quibus (ut pater meus dicere solebat) si nares paululum perstrinxeris, lac pro sanguine expresseris. Ridiculus essem et hanc querelam meam merito ineptam dici paterer, nisi passim stultam, ne dicam impiam parentum erga filios indulgentiam fieri viderem. »

Novimus et ipsi hanc nimiam parentum in liberos facilitatem, et nostratem forsitan dicas illam Cæcilianam quam lepide ita lusit Borbonius :

Non sinis ut linguas discat librosque revolvat
  Filius, o demens Cæciliana, tuus.
Non exire domo pateris, non visere campos,
  Amplexu retinens in gremioque fovens.
Nec sinis æquales intus colludere nato,
  Et misces lachrymis oscula mille tuis.
Vix illum pateris, te non præsente, cacantem,
  Nudaque cum nudo, Cæciliana, cubas;
Defuncti ut patris vestigia sancta sequatur
  Non sinis, ignavum degeneremque facis.
Vidi ego Tantaleo puerum de fonte bibentem;
  Nuper erat nostri gloria prima chori;
Cœperat et mecum versu contendere nosque
  Præceptor noster dixerat esse pares.

Non potes avelli (quisquis reclamet) ab illo,
Matris inauditum ridiculumque genus :
Sic faciens, non es mater, sed dura noverca :
Sic perdis natum, Cæciliana, tuum.
Simia deformes fœtus miratur, at ipsa
Sæpe sub amplexu pignora cara necat [1].

Nimio studio filiolum suum curabat Cæciliana. Quot autem patres, in diversum multo gravius aberrantes, ne minimam quidem diligentiam in liberos intendebant ! Haud mirum igitur, si juvenes, cum se paterna disciplina omnino destitutos viderent, in inertiam et flagitium prorumperent. Hos impetiit Borbonius scolasticos, quos non pudebat insomnes noctes ludo consumere, vendere vestes atque libros, et assidue scortari [2]. Credere velim juventutem nostram moribus multo melioribus uti et nescire quid sit Coralliorum genus [3].

Hujusce temporis præceptores de puerorum moribus emendandis non mihi multo accuratius elaborasse videntur. Ii autem, Borbonio si creditur, nihil aliud sibi in animum inducebant quam juvenes a munere honesto avocare et barbariem docere.

In mentem tibi quid, Rabelle, venit
Nostros discipulos ut avocare
Nusquam a munere desinas honesto ?
Nimirum, a studio politiorum
Sacrarumque ab amore litterarum ?
Malles quippe tuis ut in salebris,
In nugis hominum tenebricosis,
In tricisque librisque quæstuosis,
Fœda in barbarie, in fimo inque cœno
Tam caram male perderent juventam :
Atqui (si mihi credis) ipse posthac
Nostros discipulos sines valere,
Ne, quas persequeris furens ubique,
Musæ te in rabiem inferant, Rabelle [4].

« Plagosis illis Orbiliis crassisque litteratoribus », qui odio plus quam Vatiniano politiores litteras oderant inprimisque græcas, et in publicis concionibus e suggesto vociferabantur admonebantque plebeculam sedulo cavendum esse ne pueri græce litteris formarentur, non sane pepercit Borbonius. Sed, quidquid diceret vel efficeret, ne id quidem assequebatur, ut istorum auctoritatem usque adeo inconcussam apud parentes minueret aut dissolveret. Ipse vero dolebat quod illi gothicæ barbariæ propugnatores, docti tantum cædere ac verberare, plenas semper et frequentes scholas suas concursu splendidissimorum juvenum viderent, et, quamvis doctrina quam profitebantur vix foret vendibilis, ex ea tamen multum æris et domos

1. *Nugæ*, III, 137.
2. *Nugæ*, I, 186.
3. *Nugæ*, I, 198. — Vide etiam II, 46; II, 127.
4. *Nugæ*, III, 9.

et agros sibi compararent. Non mirandum ergo si poeta, cum nihil esset in loculis, bilem suam carminibus hujusce generis levaverit :

Qui dicis catulum loco Catulli,
Et dicis cuculum loco cuculli,
Idem qui cecĭdi sonas cecīdi,
Hugo, qui lepŏres vocas lepōres,
Qui dicis tenĕre loco tenēre,
Qui dicis decŏris loco decōris,
Sexcenta istius, Hugo, qui farinæ
Effers et fabricas palam atque ubique,
Tanta est gratia liberalitasque,
Tanta est istius ingenii venustas :
Atque hoc usque adeo est quotidianum,
Ut nil jam magis extet usitatum,
Vulgatum magis aut magis receptum :
Nomen grammatici interim eruditi
Usurpans, cumulas pecuniarum
Thesauros et agros bovesque equosque,
Dum stultorum hominum atque rusticorum
Dediscenda doces rudes puellos :
Sed te non patiemur ultra, et istos
Fumos vendere desines, nec Hugo
Sed Nugo tibi nomen est ferendus [1].

II. — Quid de præceptoris munere senserit Borbonius ; quid de publica disciplina.

Ex eo quod carminibus præceptores Borbonius sæpius vexaverit, id tamen non sequitur ut officium pædagogi imminuere voluerit. Quanti autem fecerit præceptorem, illo nomine dignum, in plerisque scriptis planissime aperuit. Sic Josam gymnasiarchum, amicum non vulgarem, alloquitur :

Cum pueros ornas ac formas, optime Josa,
  Moribus integris litterulisque bonis,
Munus obis, *quo non aliud præstantius ullum ;*
  Nulla est in terris functio pulchra magis.
Quod si ingrata negat mercedem turba malorum,
  Perge, laborantem præmia digna manent.
Qui teneram ætatem nobis commendat Iesus
  Fœnore cum multo reddet, amice, tibi [2].

Illud quidem nobile docendi munus a stultorum irrisionibus in *Tabellis Elementariis* pro sua parte vindicavit : « Quod si quis τῶν μοροσόφων hunc pium atque honestum conatum meum reprehenderit, atque etiam fortiter irriserit, manum non vorterim. Omnis functio qua honestos mores honestasque litteras conserere quis molitur, non potest esse non illustris, non splendida, non honorifica. Nemini autem fraudi erit quod ex nostris et quorumdam lucubrationibus

1. Ex editione principe *Nugarum.*
2. *Nugæ*, I, 54.

paucula decerpo quæ ad communem teneræ ætatis usum conducunt. Non video cur me pudeat in gratiam puerorum repuerascere, quos Dominus Christus, princeps noster æternus, tanquam vascula domui suæ consecrata, nobis etiam atque etiam commendavit. »

Satis constat Borbonium minimo emolumento docuisse atque, in prædivitibus domibus, miserias ac molestias omni genere fuisse perpessum. Sed, quamvis e liberalium artium studio laudem inanem et infructuosam fuisset consecutus, ex his tamen satis delectationis ac solatii perceperat, ut jam non eum pœniteret fuisse pædagogum :

Qui nunc me video esse pædagogum,
In prædivite sum domo moratus,
Contrivique bonos (miser) tot annos,
Gustando mala gratiasque agendo,
Sperando, ingenueque serviendo.
Tantorum mihi præmium laborum
Sunt sero sapere atque pœnitere,
Tabesque et senium : ergo nunc ab aula
Ad caulam venio : quid est agendum ?
Solæ perfugium fidele et unum,
Si quas calleo, litteræ supersunt :
Nec jam me pudet esse pædagogum [1].

Domesticæ disciplinæ qua, in divitibus domibus, necesse fuerat uteretur, publicam tamen præferre videtur. Id enim animadvertendum est illius præcepta non ad juvenes singulatim, sed generatim spectare [2]. Ex ipsius carminibus illud plane efficitur, ut educatio publica habeat utilitates quibus is semper carebit qui domi tantum edoctus fuerit : duas scilicet, æmulationem primum quæ sodalium convictu excitatur, dein amicitias quas inter pueros junctos ad senectutem usque durare videmus.

Quin etiam illud genus disciplinæ, quæ apud nos hodie *Mutua institutio* vocatur, plurimi facit. Sic pueros monet ut ipsi consulant inter se, ignaris atque imperitis condiscipulis præsto adsint illosque participes faciant suæ scientiæ [3]. Narrat ipse se plurimum profecisse suos æquales erudiendo et instituendo in his quæ a præceptoribus didicisset [4].

III. — De religione ac moribus ediscendis disserit Borbonius.

In formandis pueris duas res præcipue spectavit Borbonius : humaniores scilicet litteras atque mores, prius quod nihil efficacius

1. *Nugæ*, III, 98.
2. Vide passim *Pædagogium*.
3. Nunc hos, nunc illos, si quid dubitatis, adite :
   Consulite inter vos : sic quoque crescit amor.
   (*Pædagogium*.)
4. Me puerum lætor sic profecisse docendo,
   Dicerer ut classis gloria prima meæ.
   (*Pædagogium*.)

ad vitam bene instituendam litteris, dein quod boni mores plurimum valeant ad liberalia studia capessenda ; namque fere semper talis esse consuevit quisque qualem studia fecerint : nec bonæ litteræ, nisi quæ sint bonæ mentis, haberi posse videntur. Quæ ideo liberales appellatæ sunt, quia liberos homines ab omni turpitudinis ac voluptatis illecebra efficiunt. Inde fit ut, in scribendo, Borbonius de studiis ac moribus simul tractaverit.

Si nunc quæramus quid ad integros mores potissimum formandos conferat, religio primum petenda est ; quæ docet enim Deum optimum maximum opificem et architectum, effectoremque rerum omnium, mente et animo, omnique pietate venerandum, colendum atque adorandum ; quod est, auctore Lactantio lib. II, vera hominis sapientia.

Christus qui vera est sapientia, vita, salusque
Meta sit hic vobis, propositusque scopus.
. . . .
Si desit pietas, est vana scientia rerum [1].

Mane, simul atque expergefactus (id fere est hora sexta aut quinta) precibus ad Deum diem quisque auspicetur :

Surgite mane citi, precibusque ex corde profectis
Recta illum qui nos finxit adite Patrem ;
Orate ut puros macula nos servet ab omni,
Atque sua faciat vascula digna domo [2].

Ne credat præceptor alienam a se esse artem qua pueri doceantur precari Deum ; hanc vero sedulo profiteatur, ut ipse Borbonius in *Tabellis elementariis* instituit.

Ipse enim precationes christianas, non solum latine sed etiam græce redditas, suo opusculo inseruit, dominicam scilicet supplicationem cujus est initium *Pater noster*, sanctam salutationem vulgo dictam *Ave Maria*, symbolum Apostolorum id est *Credo*, formulasque consecrandi, christiano ritu, mensam et agendi gratias. Quin etiam precationes nonnullas in numeros latinos convertere conatus est, inter quas, ut jam supra memoravimus, Dominicam orationem [3].

Nec discant tantum adolescentuli precari Deum, doceantur quoque quis sit Christus, quid ille pro nobis passus sit. Ad id spectabat poeta, cum carmen ederet *de Cruce ac morte Domini in septem horas digestum scholiisque brevissimis illustratum* et huic adjiceret *Summam utriusque Instrumenti, id est Veteris ac Novi Testamenti* (*quæ sacra Biblia vocant*) κεφάλειον ; quod quidem poemation nihil est aliud quam Epitome historiæ sacræ versibus hexametris composita, cujus tituli

1. *Pædagogium.*
2. *Pædagogium.*
3. Vide supra pag. 49.

in margine inscripti sunt : *Deus*, — *Adam*, — *Stygius satelles Satanas*, — *Omnes per Adam peccaverunt*, — *Christus patribus* (*id est patriarchis*) *promissus*, — *Lex*, — *Adventus D. Christi*, — *Christus quid*, — *Fides, Dei donum*, — *Fidelium ardor et studia*, — *Divus Paulus*, — *Opera bona Christianis exercenda*, — *Fides, arbor bona*, — *Spiritu oris sui interficit impium Christus judex futurus*, — *Sacra Biblia cur nobis tradita*, — *Deo optimo et maximo laus et gloria in sæcula sæculorum* [1].

Ne quis credat ea esse tantum theologorum officinæ : sunt magistri cujusque, dummodo religiosissime ac modestissime de Deo et pietate christiana disseratur. « Ego, inquit Borbonius, cum videam hodie, non solum arduum, set periculosum etiam esse novos de religione libros edere, quod de monstrosis quibusdam sectis ac necessariis opinionibus passim rumores dissipentur, oro vos atque obtestor per Musas, imo per crucem quicumque scripta mea legere dignamini, ut persuasum habeatis Borbonium nihil adhuc neque serium, neque ludicrum quicquam scripsisse, aut scripturum unquam esse, quod theologorum atque eruditorum judicio subdi nolit. Ego enim is sum qui nihil temere dicere, nihil pertinaciter ac præfracte contra receptum vivendi morem asseverare in animum induxerim... [2] »

Hanc igitur legem, quam ab avo Joanne puerulus retinuerat, observandam sibi et aliis semper proposuit : — « Quæ sunt nobis ab orthodoxis τῆς ἐκκλησίας et a sanctis Patribus tradita verissima esse credito tibique persuadeto veriora esse quam quæ corporis oculis cernis, auribus audis, manibus contrectas, etc. [3]»

Nec tamen Borbonio fuit cæca fides. Quemadmodum nihil magis decet hominem quam pietas ac reverentia numinis, ita superstitione præposteraque religione nihil minus decere hominem ducit.

Illud quoque in auctore nostro laudandum est, quod, cum religione jam exarderent viri sui temporis, fanatico semper in docendo caruerit animo, pacem vero ac concordiam in omni re commendaverit :

Pacis amans noster Deus est : pacem ergo colamus,
  Nos, qui illum sequimur suspicimusque Patrem.
Filius est pacis, qui nil non candidus æquo
  Fert animo et novit qui maledicta pati.
Sic dominus vult esse suos, qui mutus et agno
    Mitior, ad mortem cum raperetur, erat [4].

Sed ne plura morer, hic carmen transcribamus quo pueris Borbonius legem constituit quæ magistra vitæ christinaæ esse debet.

1. *Tabell. Element.*, p. 36 et 37.
2. *Tabell. Element.*, p. 32.
3. *Tabell. Element.*, p. 43.
4. *Pædagogium.*

In primis, pueri, Christum discamus amare,
Hic fons est a quo vita salusque fluunt.
Displiceat nobis scelus omne, *superbia, livor,*
Torpor, mollities, ira, cupido, gula.
Cordibus in nostris dominum pingamus Iesum,
Primus hic est nobis conciliandus amor.
Obsecro, o pueri, vivamus crimine puri,
Non amat impuros Virginis ille puer.
Illo nulla potest melior doctrina parari,
Debet ad hunc acies tendere nostra scopum.
Christum laudemus semper semperque precemur,
In Stygios casses ne cadat ægra caro :
Ne, post hanc miseram et pejorem carcere vitam,
Demur tartareis præda voranda rogis [1].

Christo duce igitur et auspice deipara, Borbonius pueros ad honestatem præceptis salubribus formare gestit. Turpe enim existimat quempiam multos annos laborare atque exerceri ut vel bonus grammaticus vel rhetor fiat, ut autem vir bonus evadat, nunquam quidquid laboris in tanto temporis spatio impendere. Sic pueros monet fidei suæ commissos :

Vos Deus ipse mihi, vestrique dedere parentes,
Non ob Grammaticen Rhetoricenque modo,
Verum etiam, ut mores sub me discatis honestos,
Est mihi commissi cura gerenda gregis [2].

Is erat poeta qui officiorum regulas adolescentem quemque optime doceret, cum ipse apud parentes tot salubribus monitis et sanctis exemplis fuisset institutus. Hunc enim juvit *Tabellis Elementariis* inserere præcepta quibus olim domi fuerat imbutus : quorum sunt præcipua [3] :

— Unum quemque christianum diligito, tanquam te alterum.
— Nemini dicito aut facito, quod tibi ipse dici aut fieri nolis.
— Parentes colito iisque pro virili tua parte morem gerito.
— Inter loquendum, aut agendum aliquid, verecundus esto, sed non immodice.
— Rebus honeste partis, tamquam victurus, atque iisdem, tamquam moriturus, utitor.
— Ad rempublicam, ad magistratus, ad honores ne temere, ut hodie multi faciunt, teipsum ingerito.
— Vulgi rumores et improborum maledicta bene tibi conscius fortiter contemnito.
— Loquacibus, mendacibus, furacibus, ignavis, aleatoribus, petulantibus, irrisoribus, decoctoribus, intractabilibus ne te admisceto.
— Edito, bibito, vigilato, dormito, studeto, ludito, quantum satis est et, sic, ut ne quid nimis.

1. *Nugæ*, II, 141.
2. *Pædagogium.*
3. *Tabell. Element.*, p. 43; id., 44.

— Sorte tua contentus esto et solam temporis avaritiam honestam ducito.

— Studia litterarum bonarum alacer amplectitor : et otium tanquam pestem fugito.

— Amicitias ne temere adpetito : quas consecutus es, religiose servato.

— Eos diu vixisse non qui multos annos numerant, sed qui modeste et inculpate vivere perseverant putato. »

Hos quidem aphorismos soluto aut etiam stricto sermone pueris instillare enixus est Borbonius, sed inprimis morum urbanitati mira diligentia instituit. Etenim, cum puer non sibi soli victurus, sed in media societate hominum versandus sit, necesse est ut animo sit honesto ac verecundo, et doceatur quinam mores suam ætatem deceant et qualis ipse esse debeat in mensa, in incessu, in sermone, in vestibus aliisque rebus, ut laudem et amicos paret. In hoc secundo et perutili educationis genere accurate operam posuit Borbonius.

Illud primum præcipit, ut se præbeat juvenis comem omnibus :

Gymnasium ingressus, si quis me ex more salutet,
Idque verecundo factitet ore, probo.
Et condiscipulos salvere jubere putamus
Esse pium : nam sic conciliatur amor,
Sanctus amor, multos qui corpus jungit in unum [1].

Atque simul monet ne sit aut lingua aut auribus ad turpia facilior.

Jurgia, rumores, mendacia, probra, cachinnos
Oderunt studium qui pietatis amant.
. . . .
Obscœnos vitate sales et turpia verba,
Et cane scurrilles pejus et angue jocos.
Improba corrumpunt sanctos consortia mores :
Vestra pium debent verba referre salem [2].

Caveant quoque pueri ne elatius sese gerant :

Elatos animos dejicit ira Dei.
. . . .
Quare, qui inter vos sibi maximus esse videtur,
Sit minimus, gaudens inferiore loco [3].

Ne quis præterea formæ suæ impendio nimio indulgeat, namque

Is grave fluxuri gestat honoris onus.
Forma breve, ut flos, est casura et plena periclis [4].

Haud insulse impetit Borbonius juvenes barbula et coma præter modum nitidos, elegantulos totos a quibus nihil sperandum est

1. *Pædagogium.*
2. *Pædagogium.*
3. *Pædagogium.*
4. *Pædagogium.*

forte, nihil solidum. Non quod omnem pulchritudinem repudiet : sed, cum pulchritudinis duo genera sint, quorum in altero venustas sit, in altero dignitas, venustatem muliebrem ducit, dignitatem vero virilem. Ergo ab adolescentibus removeri vult omnem indignum viro ornatum, sed eosdem ad decorum ita comparari, ut totus cultus, vultus, gestus et habitus corporis ingenuam modestiam et verecundam indolem præ se ferant :

Ore verecundo sic respondete roganti ;
Sint ut in officio singula membra suo :
Frons hilaris, rectique oculi, modulata labella,
Pes stabilis, naris muncta, quieta manus.
In summa tales sint toto in corpore gestus
Omnibus ut fiat mens generosa palam [1].

Magistri medii ævi cultum ac munditiam parvi faciebant, et, Rabelæso si creditur [2], rem non incongruam et indecoram existimabant « *Alamanorum uti pectine*, id est quatuor digitis et pollice, irritum autem laborem dicebant cultius se pectere, lavare ac mundare ». Ab iis dissentit Borbonius, nam cum litteræ sint ornamenta hominum, eas non decet sedem habere suam in squalido corpore. Adhibenda munditia, ut monet Tullius [3], non exquisita nimis, sicut fugienda agrestis negligentia. Eadem ratio est habenda vestitus in quo, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima est :

Os aquula et dentes oculique manusque laventur,
Cæsarieque compta cultaque vestis eat.
Sic tamen, ut vestro in cultu modus adsit : ab omni
Mollitie et luxu vos procul esse volo [4].

IV. — Quoddam decus in rebus classicis quærendum.

Id sexti decimi sæculi proprium est probam legitimamque elegantiam, id quod Græci nominaverunt τὸ πρέπον, in omni re quæri. Nec satis adolescentes esse honestis ac perurbanis moribus cultuque decoro ac verecundo ; in rebus classicis artifices probatissimi sunto. Id quidem in *Pædagogio* suo præscripsit Borbonius :

Scribite, *set recte et nitide*, signisque notate
Omnia quæ prosint vosque labore levent.
Ut perrara avis est sermo concinnus et oris
Gratia ; sic *pueri pingere docta manus* [5].

Præscriptum renovavit in *Tabellis Elementariis* « Pædagogorum ac ludimagistrorum sunt partes dare operam inprimis, ut puelli

1. *Pædagogium.*
2. Lib. I, cap. XXI.
3. *Off.* I., 130.
4. *Pædagogium.*
5. *Pædagoginm.*

assuescant ὀρθογραφεῖν, hoc est dextere et feliciter *litteras pingere*. Nam quæ alioqui facillimo sunt intellectu, si male, si perperam scripta fuerint, plerumque sic obscura sunt ut vix etiam ab eo qui scripserit sine interprete aut Delio aliquo natatore intelligi possint [1]. »

Nec Borbonio cura minor quali voce discipulus eloquatur. Nihil flocci facit librum memoriter reddi, si inculte et ineleganter redditur. Ille puer, magistro judice, punctum tulisse habebitur qui, in recitando, pure ac concinne loqui didicerit :

At prælecta mihi cum redditis, este *canori*,

Id est suaviter et distincte et cum voce sonora apertaque pronunciate. « Est enim, ait Caurresius, *canorus* quasi sonorus, a *cano* deductum. »

Præterea est ratio sermonis habenda : loquendo
Ne lingua improbula garrulitate fluat,
Nec sint qui balbis feriant mihi naribus aures,
Quique fremant, stridant et male verba sonent [2].

Solœcismorum simul fœditatem pueri fugiant, hosque vitent ut scopulos, in quos, ut ait Caurresius, illisi puræ orationis dissolutionem et naufragium patiuntur.

In cæteris rebus quæ ad studia pertinent, etiam in minimis, nescio quid decori et concinni exigit Borbonius. Sic persuasum habet artem quamdam esse adhibendam in respondendo. Si forte interrogantur pueri, caveant ne vultus præbeant aut tristes aut hilares nimium, sed inter utrumque teneant. Vultus enim et frons animi janua est, sermo quasi tacitus mentis :

Seu mihi, seu cuivis bene respondere roganti
In puero fulget non mediocre decus,
Nec nimium lætos nec tristes approbo vultus;
Est medium : virtus inter utrumque sedet [3].

Est etiam laus quædam et dignitas in sedendo et audiendo. Sic pueros monet noster :

Sint ut in officio singula membra suo.

Recti oculi, id est nullam in partem inflexi, — labella cum mensura composita ut nec nimium contracta, nec nimium depressa aut nimium hiantia sublevatave existant, — pedes stabiles, non divaricantes nec in diversum distorti, manus non dissolutæ, non laxæ, non remissæ.

1. *Tabell. Element.*, p. 10.
2. *Pædagogium.*
3. *Pædagogium.*

Ne quis præterea sine « armis » id est libris, stylo, chartis et atramento scholam petat. Nihil enim ineptius aut indecentius videri potest, quam militem bellum adire, armis quibus protegatur et hostem impetat neglectis. Ad eumdem modum, discipulum conspici tanquam in prælium prodeuntem, gymnasium ingredi inermem, nihil potest esse a studioso adolescente magis alienum, nihil ineptius, nihil inconcinnius.

V. — Quid de plagosis Orbiliis senserit Borbonius.

Exquisita illa et ingenua educatio, qualem proposuit Borbonius, cum plagis ac verberibus male congruit. Virgam tamen ac ferulam auctor noster non omnino repudiat; iis vero præceptorem usurum esse moderate existimat. Pueros ad honesta studia non tantum verberibus quantum monitis ac præmiis censet esse ducendos.

Non nisi peccantes ferulam virgasque timete,
Sunt flagra malis, crustula danda bonis [1].

Orbilios odit, id est præceptores plus æquo rigidos et qui vapulandi liberalitate effusiores sunt. Qui, dum monent aut corrigunt errata, eo nonnunquam provehuntur furoris homines impotentissimi, ut « in hoc sancto negotio, ut ait Caurresius, quod pudore ac benevolentia retineri debet, fulmine quasi deturbent, ac fœdissima convitia, ne scortis quidem permittenda, spirent. » Perdunt itaque juventutem nedum emendent: labor et ingenium extinguitur ac friget amor mutuus qui tantum hic habet frugis, quantum ipsæ litteræ admirationis. Reformidant eum infelices adolescentes, cujus, mansuetudine illecti litterarum cupiditatibus inflammari atque ad omnem modestiam componi debebant.

Jam Erasmus lacesserat plagosos illos litteratores qui « juventutem verberibus et minis excarnificatam et scire nihil et sibi videri nihil scire docebant ». Acriore musa Borbonius invehitur in Candilios, Grondillos idque genus præceptores, impudicos puellulorum femorum palpatores, doctos tantum verberare, culos verrere et secare [2].

Dolet præsertim quod, in humaniore sæculo, pristinæ barbariæ quasi conscii, parentes non dubitarent tenellos suos natos his belluis erudiendos vel potius excarnificandos committere :

1. *Pædagogium.*

2. Quem nostis, bonus ille litterator,
Ille, inquam, optimus, ille pædagogus,
Et dux Candilius puellulorum, et
Palpator femorum puellularum,
Doctus cædere, verberare doctus,
Culos verrere doctus et secare
. . . .

Nugæ, I, 42.

Dic, Grondille, quid impedit, magister,
Quo te carnificem minus potestas
Urbis fecerit? hoc tibi profecto
Munus congrueret, bene ut scelestos
Torqueres homines, homo tremendus,
Plagosus, furiosus, impius, trux,
Immitis, truculentus, asper, atrox,
Torvo lumine, voce, fronte, naso,
Formidabilis, omnibusque membris.
Væh vobis! pueri, cutique vestræ,
Grondillus quibus obtigit magister.
O cives, adeone cæca mens est
Vobis? siccine liberos amatis?
Vestra et viscera? sanguinemque vestrum [1]?

VI. — Qui modus in corpore curando sit adhibendus.

Quid bona corporis valetudo ad animi sanitatem conferat, Borbonium non fefellisse videtur. De hac re cum Erasmo et Rabelæso consentit : quale sit corpus, multum animi interesse judicat :

Recta valetudo est ingens thesaurus, in ægris
  Vis animi membris nulla vigere potest [2].

Cum igitur ea sit cognatio corporis et animi, non mirum, si auctores sexti decimi sæculi, qui de educatione puerorum scripserunt, munditiam in vestitu temperantiamque in mensa juveni cuique commendaverint. Nec immerito hos versus condidit noster :

In mensa sic vos moderatos esse jubemus,
  Ut qui vos videat judicet esse probos.
Quod satis est, edite, et sic, ut natura requirit.
  Ventre calet pleno luxuriatque caro.
Si vinum nobis adponitur, addite lymphas
  Largiter; in vobis jam satis ignis inest.
. . . .
Immodicas epulas, irritamenta palati,
  Quærant, qui curam non nisi ventris habent.
Lurcones, ventres, parisiti, infamia sunt hæc
  Nomina, quæ quovis stercore pejus olent.
Quantum conjicio, verbo nil verius illo est
  Quam gladio, plures interiisse gula [3].

Pariter ac cibus somnus refectioni corporis necessarius est : membris igitur concedendum est otium, quod iis alimenti ac virium loco est.

Utilis est pueris somnus; requiescite noctu,
  Otia set toto sunt fugienda die [4].

1. *Nugæ*, II, 144.
2. *Pædagogium.*
3. *Pædagogium.*
4. *Pædagogium.*

Non vigilias probat : id sibi persuasum habet nihil boni ac fructuosi e nocturno labore elici posse.

Apta parum studiis nox est : inimica lucerna est,
Noctis opus multis exitiale fuit.
Nocturno studium non est damnosius ullum ;
Ingenium obtundit; corpora sicca facit.
Intempestiva est studiis nox, commoda lux est :
Luce labor bonus est, et bona nocte quies.
Pulchra dies operi; nox convenit atra quieti,
Tam bene discrevit tempus utrumque Deus.
Surgite ad auroram, pueri; gratissima musis
Hæc est, hæc studiis hora dicata bonis [1].

Necesse erit interdiu studia intermittere. Non in eadem enim intentione semper retinenda mens, sed ad lusus et jocos revocanda :

Vos, cum tempus erit ludendi et facta potestas,
Ludite, certantes carmine, voce, lyra.
Corpus et ingenium reficit pila, luctus amœnus
Et trochus et docta sphæra rotata manu.
Fallite aves laqueis interdum et arundine pisces.
Quod vulgo dicunt : omnia tempus habent [2].

Sed etiam in ludendo pueris quidam modus est retinendus, ne nimis omnia profundant elatique voluptate in officiorum oblivionem delabantur :

Hos ludos probo, set modus est adhibendus in illis,
Id græce liceat dicere μηδὲν ἄγαν [3].

Sunt aliæ quædam exercitationes quæ ad recreandum animum corpusque roborandum plurimum efficiant : venatio scilicet, equitatio, luctatio armorumque tractatio. Has quidem artes, quas veteres, maximam quasi partem educationis, sumno studio prosequebantur, haud respuit Borbonius; sed id metuere videtur ne juvenes, his ludis effusius indulgentes, e Musis ad Martem dilabantur.

Accipitres alere et prædas captare volando,
Retiaque incautis ponere rara feris,
Pascere equos acresque canes, contendere lucta
Hastisque et gladiis : fortibus ista placent.
Tristia nulla animis vestris advescite bella :
Sanguinei dirum linquite Martis opus [4].

VII. — Quæ sit studiorum optima ratio.

A scolastica disciplina Borbonius jam longe desciscivit, sed multo gravius a veteribus pædagogis abalienatur, cum in *Pædagogio* aut

1. *Nugæ*, II, 30.
2. *Pædagogium.*
3. *Pædagogium.*
4. *Pædagogium.*

in Tabellis quæ sit optima studiorum ratio constituit. Tempore quo magistri discipulos pene infantes dialecticæ studere cogebant et loqui eos jubebant priusquam eos loqui docuissent, de dialectica ne mentionem quidem facit. Scolasticos autem præceptores, quos vocat *sophistas*, *Gotthicæ barbariæ fautores*, carminibus ita increpat :

Sophistæ de suis suggestis detonant,
Et ut ex tripodibus grunniunt sua somnia.
Brevi at futurum est, monstra ut illa desinant
Esse in pretio : bonis nimirum litteris
(Dei beneficio) repullulantibus.
Tenebræ facessent : lux orietur cœlitus [1].

Litteras, humaniores et politiores litteras, Borbonius tantum spectat earumque laudes, Tulliano more, magnifice concelebrat :

Quid litteræ sint, et quid homini conferant
  Dicam : quæso, animadvertite.
Juveni stimulus ad virtutem sunt litteræ,
  Senique sunt solatium :
Misero vero atque pauperi sunt refugium :
  Adduntque honorem diviti [2].

Inprimis peritiam utriusque linguæ commendat [3], latinæ videlicet et græcæ. Nam nemo, ut ait Caurresius, facile cæteras artes et disciplinas consequetur, qui has linguas non didicerit. Illæ enim memoriam rerum conservant, posteritatem instruunt, præterita futuris connectunt, et ratiocinationem totius vitæ nostræ perpetuo agunt. Idcirco optimum quidem factu, eis pueros imbuere priusquam aliis incumbant, si eos doctos viros aliquando evadere volumus, aut in civium numero censeri.

Hebræam linguam, licet apud studiosos juvenes, sexti decimi sæculi vigere cœpisset, in ratione studiorum Borbonius omisit. Vulgares autem linguas quas plerique *tritas* existimabant, pueris pernecessarias judicat hosque monet ut eas discant, si tempus, si res sinunt :

Vulgares linguæ, Germanica, Gallica, Thusca,
  Hæ tres o quantum commoditatis habent!
Conflata ex variis est lingua Britannica linguis,
  Pulchra tamen cultu dicitur esse suo.
Has igitur vobis discendas esse putamus,
  Si tempus, si res, si pia fata sinunt [4].

1. *Nugæ*, VII, 72.
2. *Nugæ*, VII, 142.

3. Est igitur vobis utriusque peritia linguæ
  Quærenda : ad Musas muniet illa viam.
Utque duas linguas opera discatis eadem
  Efficiam, vires suppeditante Deo.
(*Pædagogium.*)

4. *Pædagogium.*

A grammatica, licet ardua sæpius videatur, studia ineunda sunt [1], sed id inprimis cavere oportebit, ne studia qui amare nondum potest oderit et amaritudinem semel perceptam etiam ultra rudes annos reformidet.

VIII. — Quid grammaticæ puerorum pectusculis instillandum Borbonius censeat.

Plerasque hujusce temporis institutiones grammaticas, quæ tunc in scholis vigebant, plenas esse molestiæ atque tædii non diffitetur Borbonius. Auctores præcipui qui « de grammaticis labyrinthis » justa volumina conscripserant præceptiuncularum turba puerilis ingenioli teneritudinem obtundebant, iisque qui adhuc lacte egebant solidiorem adponebant cibum. Si quis vero paulo audacior conabatur has gothicæ barbariæ reliquias e medio tollere, dii boni, quibus cum monstris res illi statim futura erat? quid non audiebat ab Orbiliis quibusdam crassisque litteratoribus? Quam statim exsibilabatur ab iis qui nihil aliud pueros docebant quam dediscenda !

Borbonius tamen non dubitavit inire prælium cum istis hominibus. *Tabellas* scripsit *Elementarias* « quasi præludia quædam tenellulos puellos ad grammaticam præparantia. » Curam adhibuit ut, cum adhuc rudia tractaret ingenia, non statim oneraret infirmitatem discentium, sed temperaret vires suas et ad intellectum audientium descenderet, eos imo persuaderet, in re grammatica, nihil esse magnæ difficultatis.

Præcipuas sui temporis grammaticas non tamen existimat omnino esse respuendas. Sunt in iis partes nonnullæ quæ neminem studiosum effugere debeant, id est nominum inclinamenta, verborum flexuræ multaque alia quæ Borbonius in *Tabellis Elementariis* (justam enim grammaticam scripsisse diffitetur) prætermisit. Non mirum ergo, si puellulos græcis litteris aut latinis incumbentes ad *Theodori Gazæ Institutiones* aut ad *Donati Partes* Borbonius nonnunquam remittat. Tabellas suas scribendo, id sibi tantum proposuisse videtur, ut, in densiore silva spinas ac dumeta, (ut ita dicam) ab adolescentulis removeret [2].

1. Prima rudimenta et certas perdiscite leges
Grammaticas : nec vos terreat iste labor.
Aspera principio, et nimium quæ dura videntur
Mitigat hæc usus sedulitasque domat.
(*Pædagogium.*)

2. Illud etiam notandum est *Doctrinale Alexandri* a Borbonio nunquam fuisse invocatum. Quinimo Despauterium, qui tamen, sexto decimo sæculo, primum locum inter grammaticos tenebat, minimè fecisse videtur. Ea sunt illius verba de *Arte Versificatoria* ejusdem auctoris : « Nolo insectari hominem mortuum, qui sane de re litteraria, dum vixit, bene mereri studuit... Tantum hoc ringor ac doleo per prærancidas grammatistarum quorumdam præceptiunculas fieri, ut vulgo hodie et sacra musarum profanentur et tot alioqui felicibus adolescentulorum ingeniis densissimæ tenebræ obfundantur [1]. » (*Tabellæ Elementariæ*, p. 34.)

Nunc videamus quid grammaticæ græcæ, quid latinæ puerorum pectusculis instillandum esse censeat Borbonius.

De grammatica græca. — Ab alphabeto græco orditur noster, sed ab aliis grammaticis eo tantum dissentire videtur, quod rem forsitan simplicius ac brevius exponit.

Ut veteres auctores, octo numerat partes orationis : Articulum, Nomen, Verbum, Participium, Pronomen, Præpositionem, Adverbium, Conjunctionem (Adjectivum omittit et Interjectionem); sed animadvertit, in re grammatica, nihil esse magnæ difficultatis præterquam in nominum atque verborum flectendorum ratione : in iis duabus orationis partibus aliquantulum esse elaborandum; cætera legendo, scribendo, audiendo, communicando facile superari posse.

Inclinamenta nominum non plura quatuor constituit, quia inflexionum multitudine pueri memoriam confundere veretur. E quibus tria prima sunt parasyllabica, ultima polysyllabica : hoc est crescentia genitivi declinantur.

Παραδείγματα seu exempla declinandorum nominum nusquam in Tabellis protulit; pueros vero monet ut ea exempla, observationesque hujusmodi cum exceptionibus ac differentiis ex Theodoro Gaza cæterisque grammaticis petant.

Verba sic ordinat : 1° Βαρύτονον, hoc est gravisonum, ut γράφω; — 2° Περισπωμένον, id est circumflexum, ut γελῶ; 3° in μί, ut τίθημι.

Verbo accidere octo memorat : scilicet speciem, figuram, numerum, modum, genus, personam, tempus, conjugationem. De iis autem singulatim quidquam præcipere merito supersedet. Quæ quidem usque adhuc justis voluminibus ab innumeris grammaticis tractacta fuisse fatetur, sed ex tam multis pauca admodum decerpenda judicat, quæ pueris degustanda proponere velit. Dat tantum operam ut id ament atque amplectantur, quod suapte natura non possint non odisse.

Item de Articulo. Animadvertit Borbonius sermonem græcum eo superiorem et uberiorem latino, quod articulos habeat, tanquam præcursores et antistites. — In duo genera articulos distribuit : scilicet *præpositivos*, ut ὁ, ἡ, τό et *subjunctivos* ut ὅς, ἥ, ὅ; sed profitetur se iis vocabulis tantum uti, quia sint in usu omnium grammaticorum; addit præterea : « Quid præpositivi a subjunctivis differant, de multiplici usu ac ratione utrorumque multa puerulis inculcantur : quæ, cum molestiæ ac tædii plena sint, videndum est etiam atque etiam, ut ea quasi ludendo ediscant. »

Quatuor Pronominum genera numerat : *Primitiva*, *Possessiva*, *Demonstrativa*, *Relativa*, sed poetica esse admonet hæc μὶν, νὶν, ψέ, atque ideo pueris aut non magnopere necessaria, aut parce tempestiveque admodum tradenda.

De multiplici præpositionum, adverbiorum et conjunctionum usu modeste, ut de cæteris, judice Borbonio, apud pueros tractandum

erit. Quem pueri studiosi, partim legendo, partim magistros prælegentes audiendo, venentur necesse est.

Ita concludit noster : « Qui in curam suam receperunt pueros, prælegant authorem aliquem intellectu facilem : atque, inter legendum, ne minimam quidem prætereant dictionem, quam non ad unguem diligenter excutiant : sed ita tamen, ut quoad ejus fieri poterit, nulla tenellis animulis molestia exhibeatur. »

De præceptorum munere non aliter sentiunt temporis nostri pædagogici scriptores.

De grammatica latina. — In præcipuis grammaticæ latinæ lineamentis constituendis, implicatus et irretitus interdum hæret Borbonius. Vitiis grammaticalibus quibus ætas sua laborat non solum male inniti videtur, sed sæpius indulgere.

Nemo enim diffiteri potest quin litteris latinis diutius institerit. Nihil moror locum *Tabellarum* quo exponere conatur « littera quid sit et ei quæ accidant. » Lubricum sane intelligit in quo versatur, cum obiter scribit : « Si vellem tot opiniones recensere, dies me deficeret; at hanc crucem ferendam, hoc saxum volvendum scrupulosis litteratoribus lubens relinquo. » Sed quo fit ut saxum iterum lubens evolvat, cum pueros docet « syllaba quid sit et ei quæ accidant », tenor scilicet, spiritus, tempus, numerus litterarum? — Item nonnulla præcipit de vocalibus, — de diphtongis latinis, — de pronuntiatione litterarum, quam constat apud antiquos longe aliam fuisse, quam quæ hodie in usu est, — de latinis consonantibus, — de consonantium divisione.

Veram tandem ac propriam aggreditur grammaticam quæ ita dividitur :

1° *Orthographia* quæ rectam scribendi rationem tradit;

2° *Prosodia*, hoc est ratio pronuntiandi id quod syllabæ accidit; nam ex syllabis aliæ breves, aliæ longæ, aliæ acutæ, aliæ graves, aliæ cirumflexæ (sequuntur pauca de accentibus);

3° *Etymologia* quæ proprietatem tradit dictionum;

4° *Syntaxis* quæ vocum est ordinatio seu dictionis contexendæ ratio. — In hac grammatices parte non immerito Borbonius commendat pueros diuscule detineri, simul ac nominum atque verborum inflexiones cæterarumque orationis partium proprietates edidicerint. Ita fiet, ut vocum structuram cognoscere incipiant, sensimque sese orationis tanquam architectos quosdam profiteri audeant.

Ad octo partes orationis deinde transit Borbonius. Docet quid sit nomen [1] et ei quæ accidant : comparatio [2] scilicet, genus, [3] numerus, figura [4], casus, declinatio [5].

1. Omne nomen est aut *proprium* aut *appellativum.* — Rursus omne Appellativum est aut *substantivum* aut *adjectivum.* — Substantivum est cui addi non

In declinando perutile existimat græcas declinationes cum latinis conferre : sic, ut græca græce, latina latine, nonnunquam etiam græca latine flectere pueri consuescant.

Similiter disserit de Pronomine [6], de Verbo in quo spectat genus [7], speciem [8], tempus, modum, figuram [9], personam, numerum, conjugationem; atque item de reliquis orationis partibus.

Non negaverim Borbonium, qui res tam multas in uno vocabulorum genere distinxerit, modum sæpius excessisse. Has subtilitates grammatici nostri jamdudum a rudimentis merito sustulere. Fatendum est tamen Vandoperanum nostrum (si illius Tabellas ejusdem sæculi grammaticis institutionibus conferas) inter primores stetisse qui resecanda putaverint quæquæ rudibus adhuc et incautis tirunculis fucum factitarent. Ipse semper pro virili sua parte obstitit ne quid novitatis classicis libellis adscriberetur, si foret inutile aut subtile nimium [10].

Propter hæc *Tabellæ Elementariæ* mihi merere videntur ne omnino apud nos in oblivione jaceant.

potest : ut *homo, ager.* — Adjectivum est cui addi potest : ut *albus homo, fortis vir, studiosus puer.* (*Tabell. Element.*, p. 12).

2. Tres sunt gradus comparationis : positivus, comparativus, superlativus. Varia sunt comparationis exempla : sunt quæ regulariter, sunt quæ irregulariter formantur. Quare Borbonius præceptores monet ut hæc omnia suo ordine et quam poterunt liquidissime ac facillime pueris suis explicent.

3. Septem genera nominum numerat 1° masculinum; 2° fœmininum; 3° neutrum; 4° commune (ut *hic* et *hæc homo*); 5° omne (ut *hic, hæc, hoc felix*); 6° promiscuum, græce ἐπίκοινον, quod suo uno articulo duo genera complectitur (u *hic passer, hæc aquila*); 7° Dubium, (ut *hic* vel *hæc dies*).

4. Figura simplex est ut *amicus, aptus :* — Composita vero ut *inimicus ineptus.*

5. Quinque sunt nominum declinationes. Primam Borbonius animadvertit habere quatuor terminationes *a, as, es, e ;* — tertiam habere formationem genitivi difficiliorem, quod genitivus alias superet nominativum syllabarum numero, alias æquet; sed et hanc difficultatem discentium et præceptorum sedulitate facile superari posse, et alioqui innumera esse in promptu declinandi παραδείγματα. — Declinandi ratio, ait, ex Donato petenda est : quem in manibus habere nunquam non debent pueri. (*Tabell. Element.*, p. 12-16).

6. In pronomine duas species notat : 1° *Primitivam*, ut *ego, tu, sui; — ille, ipse, hic, qui;* 2° *Derivativam,* ut *meus* ab ego, *tuus* a tu, *suus* a sui, — Ex significatione pronomina ita distribuit : *Demonstrativa, Relativa, Reciproca, Interrogativa, Possessiva, Gentilia.* — Pronomini figura est *simplex* ut *quis, composita* ut quisquis etc.

7. Tot sunt verborum genera quot significationes : 1° *Activa* in *o* desinunt, ut *amo; —* 2° *Passiva* in *or*, ut *amor ; —* 3° *Neutra* in *o*, ut *sedeo ; —* 4° *Communia* in *or*, ut *osculor; —* 5° *Deponentia* in *or*, ut *sequor ; —* 6° *Neutralia passiva* in *o*, ut *vapulo, veneo.*

8. Verbi species dicitur *inchoativa*, ut albesco ; — *frequentativa*, ut lectito ; — *meditativa* seu *desiderativa*, ut dicturio.

9. Verbo figura est *simplex*, ut bibo ; — *composita*, ut præbibo.

10. Ut ad exemplum veniam, id notat de articulo : « Rusticani puerorum doctores caveant hallucinari cum iis, qui articulos esse apud latinos effrenate garriunt... » *Hic, hæc hoc* non esse articulum demonstrare nititur.

IX. — Quosnam auctores inprimis legendos censeat Borbonius.

Licet in *Nugis* antiquitatis scriptores fere omnes laudaverit, non tamen omnes indiscriminatim a pueris legendos censet Borbonius, sed eos solum qui moribus conducunt, et ex quorum lectione non nisi probior atque religiosior juvenis quisque evadere queat :

De libris : omnes vobis non esse legendos
  Censeo : non omnes moribus apta docent [1].

Errat cæterum sæpius qui nimium multos sequitur calles. Sciat ille se plurimum profecisse cui pauci, sed probatissimi, auctores placuerint. In suo *Pædagogio* satis aperte indicavit Borbonius quosnam scriptores a pueris legendos et, ut Erasmiano verbo utar, « imbibendos esse » existimet : Homerum scilicet et Hesiodum apud Græcos; Virgilium, Flaccum, Terentium, Tullium et Crispum apud Latinos :

Sunt inter Graios permulti interque Latinos,
  Nomina vel quorum didicisse velim.
Flaccus habet numeros puerili pectore dignos :
  Præminet *Ascræi* vena beata senis.
Quis non *Virgilium*, quis non miretur *Homerum?*
  Quis non flexanimam vim *Ciceronis* amet?
Cultus apud *Crispum* leni fluit agmine sermo,
  Cui stylus est mira cum brevitate gravis.
Set meruit palmam punctumque *Terentius* omne :
  Tanta est eloquii copia, tanta venus.

Priores partes poetis tribuit (nec mirum cum sit ipse poeta) atque inter eos (quod forsitan mirabere) Terentium primatu decorat; sed in hac re cum Erasmo consentit qui accuratius indicavit quamobrem de ordine solito decesserit [2]. Cum enim discipuli ad citissime latino sermone loquendum et scribendum instituerentur, comœdiarum auctoribus primum locum tribui consentaneum erat, qui non modo « argumenti illecebra aliqua discentibus blandiebantur », sed ex quibus familiaris loquendi consuetudo optime et facillime hauriri poterat. Non tantum igitur elegantiam sermonis et venustatem in Terentio spectavit Borbonius, sed etiam (licet id tacuerit) discipulorum utilitatem.

X. — Sua propria opuscula pueris prælegenda proponit.

Plerique hujusce sæculi grammatici fere nulla inter antiquos et recentiores latinæ linguæ auctores, dummodo probatissimos judi-

1. *Pædagogium.*
2. Erasm. *De ratione studii*, I, p. 521, ex edit. Lugd. Batav. 1703.

carent, discrimina faciebant; atque, in adolescentulorum manibus, simul ac Tullii orationes, Maronis Flaccique carmina, videre erat Francisci Philelphi pueriles institutiones, Petri Mosellani pædologiam, nonnulla et Erasmi opuscula.

Ex his inferioris ætatis scriptoribus ne unum quidem Borbonius, in libellis suis, legendum pueris proposuit. Eum tamen non puduit sua propria opuscula apud scolasticos jactitare ac venditare. Sic suas *Tabellas* in publicum emissas alloquitur :

. . . .
Agite, ite delicatulas
Recta in puellorum manus
Et pædagogorum quibus
Ætas tenella credita est.

Et alias : « Animi recreandi gratia, plura hic adgrego epigrammata ad componendos puerorum animos accommoda. »

Nec ea sunt seria semper aut ad religionem et ad mores pertinentia. Sequuntur nonnulla leviora et lasciviora quæ, ut ipse fatetur, « in studiosorum adolescentulorum gratiam lusit, ut ii quoque cum ipso magistro aliquando colluderent seque ad meliora componerent exercerentque. » Si scire vis quo genere joci utatur apud discipulos, hæc duo carmina, tanquam exempla, e Tabellis detraham :

IN CUPIDINEM

O Amor, o ne (quæso) mihi cor tange, nec hepar :
Arbitrii facio cætera membra tui.

DE AMORE (e græco)

Dum complico corollas,
Ecce in rosis repertum
Ala prehendo Amorem
Mersumque eum Lyæo
Simul bibi protervum.
At nunc puellus imis
Furit mihi medullis.

Et ne apud suos sua facilitas in dubio sit, idem epigramma ad hunc modum, liberiuscule et quasi παραφραστικῶς, convertit.

Multiplicem verno nectabam flore corollam :
Ipse, rosas inter, forte latebat Amor.
Hunc ala apprensum tenui mersique Lyæo :
Et simul, e cyatho, stultus utrumque bibi.
Nunc misero puer ille mihi torrere medullas
Gestit et indignis me cruciare modis [1].

1. Iisdem *Tabellis*, quas ad usum puerorum condidit, Borbonius epistolam quamdam ad suam Rubellam, epistolaris generis exemplum quasi ad imitandum, inseruit, in qua legitur : « Lyricos et senariolos accepi : quibus emoriar, si quicquam in vita lepidius jucundiusve legere mihi contigit. Age vero, quæ quotidie tam feliciter componis epigrammata ea, si quando in manus hominum venerint,

Ex opusculis Borbonii quæ ad puerorum institutionem pertinent, illud mihi primum locum obtinere videtur, quod nuncupatum *Pædagogium* seu *carmen de Moribus*. Quo in scribendo, auctor id sibi, meo judicio, proposuit, ut libellum quemdam ederet lectu scituque facilem, quem in schola sua præceptor quisque discipulis prælegeret. Ea mente, in eo poemate coegit non solum philosophorum scita quam plurima atque multa saluberrima christiana præcepta ex sacris paginis deprompta, sed etiam oratorum poetarumque vim et facundiam. Nec res contra spem accidit; namque Caurresius; illustris gymnasiarchus, ut jam supra memoravimus, *Pædagogium* tantæ utilitatis librum judicabat, ut illud scholiis et enarrationibus illustrare studuerit.

XI. — Quo genere prælectionis apud discipulos sexti decimi sæculi præceptores uterentur.

E Caurresii commentariis perspicere licet quo genere prælectionis magistri sexti decimi sæculi in scholis uterentur. Quis sit auctor, quo genere scripserit, quæ hujus generis propriæ sint virtute, mediocriter curat prælector, nec necessarium putat historicis, geographicis aut philosophicis commentariolis suum textum illustrare. Non se tam rerum scrutatorem profitetur quam verborum, non tam philosophum quam grammaticum. Auctoris disticha vicissim producit, singula verba excutiendo, eaque præsertim inquirendo quæ ad grammaticam attinent. Si quod verbum obscurum aut dubium obversetur, si qua etymologia, si qua figura, si qua derivatio aut compositio, diligenter discipulum admonet Caurresius. Tunc loca similia ex auctoribus confert, si quid diversum, si quid affine, si quid imitatum, si quid allusum, si quid aliunde translatum aut mutuo sumptum ne id quidem tacet. Sed, exempli causa, quidni hic transferam ipsas enarrationes quas Caurresius ad primum illud Borbonii distichon accommodavit?

Gestio præceptis formare salubribus omnes,
Præcipue pueros : Christe benignus ades.

ut ventura spero, quotus quisque vel studiosorum hominum non mirabitur; imo quis crediturus est a fœmina, a puella, a virgine delicatissima, talia proficisci posse?... Macte animi, mea Rubella, mea columbella, macte ista virtute esto. Credo mihi, crede ac spera brevi fore, ut una simus, ut una philosophemur, non sine gravi τῶν συχοφάντων dolore fremituque importunorum nebulonum... Tu næ lepida es nugatrix, quæ dicis me ea gratia manicas tibi misisse dono, ut tenellæ istæ manus ab injuria frigoris assertæ, crebriores posthac atque longiores epistolas ad me scriberent. Vale, meum mel, meum saccarum, vale plus millies, Rubella bellissima. Et quod soles, perge sic te præclare habere in familia ista honestissima, ut cæteræ puellæ æquales tuæ, ad virginalem verecundiam atque modestiam cum liberalibus disciplinis conjungendam, non excitentur solum exemplo tuo, sed etiam inflammentur. »

« Gestio. — Propositio est operis. Proponit enim paucis ea de quibus suo in libello dicturus est; nimirum de omnium hominum potissimumque puerorum in bonis moribus formatione, quo eos attentos, benivolos, dociles et ad suum opus amplexandum promptiores efficiat, cum numinis interim invocatione, ad proborum poetarum imitationem, qui, cum res graves auspicantur, a Deorum favore et auxilio implorando, suorum operum sumunt initium. Sic enim Ovidius in principio suæ Metamorphoseos :

In nova fert animus mutatas dicere formas
Corpora. Di, cœptis (nam vos mutastis et illas)
Aspirate meis.

Sic Virgilius primo Georg.

Quid faciat lætas segetes, etc.

Sed isti, ut Deorum inanium cultores, diis suis quicquid erant aggressuri ferebant acceptum : hic vero noster Borbonius, ut Christianæ pietatis egregius cultor, Christo vero Dei filio adscribit ejusque opem et juvamen ad institutum prosequendum implorat.

Gestio. — Cupio, desidero, translata metaphora a pecudibus ad homines. Est enim *gestire*, finitore Donato, motu corporis quid sentias, quod fit lætitiæ, seu voluptatis nimiæ causa. — Cicero, I, *Off.* : Aut voluptate nimia *gestiunt* : quorum omnium vultus, voces, motus, statusque mutantur. Idem eodem verbo usus est per translationem, cum inquit pro Marcello : Parietes medius fidius, C. Cæsar, hujus curiæ tibi gratias agere *gestiunt* ; id est, quasi gestu videntur tibi parietes gratias agere. — Terent. in Phorm. : Ego' ne illi non succenseam? Ipsum *gestio* dari mihi in conspectum. — Hinc *gesticulator* pro mimo.

Formare. — Instituere. Hinc formare hominem in suos mores dixit Livius lib. III : suo, inquit, jam inde ingenio vivere cœpit, novosque collegas jam prius quam inirent magistratum, in suos mores *formare*. — Et *Formare* ignarum dictis, apud Ovid., III, Metam. : Talibus ignaram Juno Cadmeida dictis *formarat*. — Et Horat., III, Carm. od. 24 : Mentes *formandæ* studiis. — Exercitatione et stylo *formanda* nobis oratio est. Cicero, III, de Orat.

Præceptis salubribus. — Salutaribus et puris instructionibus. Hic *saluber*, hæc *salubris* et hoc *salubre*; vel hic et hæc *salubris* et hoc *salubre* ; quod præbet sanitatem significat, teste Valla. Unde aer, cibus, locus, *salubres* dicuntur. — Apud Cicer., libr. I, de Divinatione : annus *salubris* et pestilens contraria. — Aquæ *salubres*, aura *salubris*, fluvius *saluber* : herbis *salubribus* sanare curas, apud Tibull., libr. II, eleg. 3. — *Salubris* tamen aliquando pro sano accipitur. Cicero, apud Dolabell. lib. 9 : Gratulor Baiis nostris, si quidem, ut scribis, *salubres* repente factæ sunt. — Hinc urbis vel alicujus loci *salubritas*, apud Cicer., II, de Lege agrar. pro sanitate.

Christe benignus ades. — Præsto sis salvator clemens, beneficus, ac liberalis. Divinæ gratiæ et favoris invocatio est. — *Benignus*, teste Festo, proprie dicitur is qui bonis et dignis aliquid largitur. Est autem compositum ex bono et gignendo. — Cicero ad Brutum : sed nescio quomodo facilius in timore *benigni*, quam in victoria grati reperimur. — Hinc ager

benignus, dies *benigna*, divi *benigni*, apud Horat., libr. IV, Carm. od. 2. — Et apud eumdem : numen *benignum* : oratio *benigna*, sermo *benignus*, *benigna* tellus. — Et *Benigne*, liberaliter, sive large, abunde. Terent., Hecyr. V. 2. Nihil apud me tibi defieri patiar, quin quod opus sit *benigne* præbeatur.

XII. — Quantum etymologiis indulserit Borbonius.

In suo libello partem quidem satis notabilem etymologiæ tribuit Caurresius. Qua in re æquales suos sectari videtur. Jam supra vidimus quanto studio ac solertia Borbonius e vocabulis quibusdam græcis aut latinis etymologias miras excusserit; quomodo luserit quasi « etymologice » de Polisianis ædibus, de monachis, de Cyclopibus, de Vandopera, etc. Ad hæc illud de Virgilio poemation adjiciam, in quo contendit noster contra Politianum Virgilium per I non per E dicendum :

Publius et Paphius mihi donavere nomisma,
Quo nihil argento purius esse potest :
Pervetus est : in eo legitur sculptumque videtur
Virgilii nomen laurigerumque caput.
Virgilium, non Vergilium lego : nempe secunda
Hic vocalis abest, syllaba prima VIR est.
Virgilium a VIRGA, cur nobis non placet æque
Atque a VERGILIIS dicere Vergilium?
Jam mihi qui tabulas, fragmenta, et marmora, et arcus
Objiciunt valeant : me nihil ista movent [1].

Et cum de linguarum affinitate cum amicis, super cœnam, confabulatur, inquirere studet quæ sint vocabula e græco sermone in nostrum vernaculum deflexa. In sua epistola ad Vuill. Bostonum recte an perperam (sed inconsulte sæpius) animadvertit multa esse in vulgari quotidianoque sermone quæ græce etiam inscii efferimus :

« Θύω, inquit, fere ut Græci dicimus (*tuer*) pro macto ; ubi υ, ut *u* latinum, sonamus, idque recte, quemadmodum in plerisque aliis.

Pro eo quod Latini dicunt illic, plerisque ex nostratibus est ἐκεῖ (*ici*).

Ut pro incido seu seco κόπτω (*couper*); propemodum quod strido et resono Latinis est, id nobis commune cum Græcis in κρέκω, et βράχω et κράζω. *Crier* enim dicimus ἀντὶ τοῦ κρέκειν.

Capræ vitem arrodentes vulgo dicuntur (*brouter*) [2] βρώσκειν : ut a βόσκω, id est pasco, id enuntiamus quod Latini nemus (*bosquet*).

Ἐκτέμνω, id est excido, gallice *entamer* dicitur : nam en, ut Græci ἐν et pronuntiamus et scribimus, eodemque significatu.

Concordiam et consuetudinem sive convictum aut familiaritatem volentes significare, dicimus vulgariter *accointance* ἀπὸ τοῦ ἀκοίτης : cui confine est ἡ κοίτη pro cubili seu culcita.

1. *Nugæ*, II, 169.
2. *Broquigner*, dans le patois de Vendeuvre.

Mirum est a paucis, aut certe a nullis animadversum esse κάμβην id significare nobis, quod tibia Latinis, κ in *i* verso vulgo siquidem *jambe* dicimus; quamquam quid proprie sit κάμβη, non me fugit.

Si quando velim dicere rem quampiam nihil ad me attinere, parum abest quin græce dicam ὀυδὲν μέλει μοι τοῦτο, quod rusticis etiam dicunt : nihil me admisceo huic negotio.

Γρύζω pro rixor nostrate est, ut ῥάβαξ pro locutuleio et blaterone, πέρθω pro perterebro, seu, ut latine, percello.

Κλάγγη pro nola seu cymbalo, mutato α in ο : nam clocam dicimus.

Item vermiculos seu teredines, quibus manus nostræ potissimum infestantur, chirones (*cirons*) vocamus : haud dubie ἀπὸ τῶν χειρῶν, hoc est a manibus.

Quin et ægros molliterque se habentes quasi μαλακοὺς appellamus, ut pro ægritudine μαλακίαν, κ in *d* mutato.

Δὴ et Δὰ pro sane, certe, utique peculiaria nobis Lingonibus sunt.

Jam vero hominem audacem et intrepidum (*hardi*) nos dicere ἀπὸ τῆς καρδίας quis dubitet, prima littera κ in aspirationem versa?... »

XIII. — Quodnam styli genus juvenibus adhibendum.

His quidem exemplis pro manifesto habemus Borbonium vernaculæ linguæ non fuisse incuriosum : sed cum in eo tempore versaretur quo, ante alias, litteræ græcæ et latinæ apud eruditos maxime vigerent, in eas fere totum se contulit.

Utramque linguam licet æque calleret, de græca tamen pauca in opusculis suis præcepit : de latina vero amplius et libentius disseruit. Quodnam styli genus juvenibus sit adhibendum in quadam epistola ad Pucrium [1] planissime professus est. Diligentem nescio quam negligentiam in scribendo præfert morosæ quorumdam atque religiosæ diligentiæ : qui quod invita, ut aiunt, Minerva naturaque reclamante, assequi non valent, id arte fucoque imitantur.

Fastidit et odit pro sua parte istos bellos homunculos qui, novas nescio quas et exquisitas sermonis delicias, novos dicendi scribendique flosculos, inauditas orationis veneres cupediasque profitentes, prodigiosa religione studiosorum animos obstringunt.

Item, in versibus condendis, accuratam sed sine molestia elegantiam commendat. Non is est qui collisiones omnino esse vitandas existimet. — « Offenduntur, ait, nonnulli crebris collisionibus : ceu vero poetæ vetustissimi a collisionibus temperarint. Quid de Catullo dicent mihi, cujus hi sunt versus in ingratos ?

Ut mihi, quem nemo gravius, nec acerbius, urget,
Quam modo, qui me unum atque unicum amicum habuit.

1. *Nugæ*, IV.

« Possunt hic videre, nisi cæci sunt, apud tantum poetam collisiones satis multas, easque in fine pentametri : ut interim nihil dicam de aliis multis. Ut autem ingenue fatear, fui satis religiosus usque adhuc in vitandis collisionibus præcipueque in fine pentametrorum, et in sapphicis omnibus : neque adhuc me pœnitet ejus religionis... » Sed omni collisione abstinere velle, id putat vanæ superstitionis.

In epistola ad Stellam, non sine causa et acumine invectus est in molestissimos illos stricti solutique sermonis exactores : — « Talium, inquit, plenus est mundus : omnium primi habentur : digito ostenduntur : conditiones amplas adsequuntur. Quidni ? *Ciceroniani* sunt. Budæus, Erasmus, Politianus, nihil sunt Quid de nostri sæculi hominibus loquor ? Quintilianus, duo Plinii, Gellius, et quotquot illius temporis exstant autores, infantissimi sunt. De poetis idem sentiendum. Præter Virgilium, nullum esse dignum lectu. Et tamen isti novi homines in eo humanitatem suam ostendunt, insignem profecto illam et memorabilem, quod poetis illis ac quam plurimis aliis doctrinam non defuisse, eamque multam satis et suspiciendam, fatentur et agnoscunt : eloquentiam vero pernegant. Ciceronem unum esse imitandum, tanquam solum eloquentem et verum oratorem : Virgilium, poetam unum esse apud Latinos et dignum qui ediscatur. Cæteros omnes fastidiunt, merasque esse umbras poetarum et simias aiunt[1]. » Par pari referens Ciceronianos Borbonius appellat simias et umbras Ciceronis. Has quidem injurias ultro citroque habitas respuimus, sed prælio admixti nihil dubium est quin Borbonii castra secuti essemus.

XIV. — Musica puerilis institutionis complementum.

Musicam Borbonius ponit quasi puerilis institutionis complementum. Inde fit ut eam artem maximis laudibus efferat et neminem existimet perfectum et absolutum hominem nisi litteras ac musicam æque calleat[2]. Si qua fides *Nugis* adhibenda, nemo dubitaverit plerosque sexti decimi doctores et poetas musices fuisse studiosos. Nam, ut ad exempla veniam, in Samio illustri condisci-

1. *Nugæ*, VI.

2. Librum qui ad musicam pertinet non minore honore prosequitur quam qui ad litteras : quod his versibus testatus est inscriptis in fronte libri cujusdam musicis accentiunculis notati :

Thracius tigres, fluvios et ornos
Traxit, et rupes fidibus canoris
Fretus, et mores hominum ferinos
Leniit Orpheus.
Hic liber tales modulos et omnes
Gratias, omnes veneres canendi
Spirat : hæc tibi dant sorores
Munera, præsul.
. . . .

(*Nugæ*, II, 203.)

pulo, non solum venam prædivitem et doctrinam mirificam Borbonius laudavit, sed etiam artem citharæ incomparabilem :

> Quam mihi demulces, imo quam accendis et uris
> Pectora, dum digitis nobile tangis ebur [1]!

Et ipse musicus fuit; namque habebat in supellectili « citharam bene canoram, » Pueros imo fidei suæ commissos in musica erudiebat : nempe, agens in Britannia, cum Thomam Crammarum, Cantuariensem antistitem, ad scholam suam visitandam invitaret, canoras discipulorum voces huic objiciebat :

> Et chorus arrectas pascet tibi musicus aures
> Et mihi qui grex est creditus ore canet [2].

His Borbonianam docendi rationem totam agnoscimus. Quam forsitan non sufficientem existimabis, si tecum reputaveris quot quantaque adolescentibus Erasmus aut Rabelæsus ediscenda proponerent. Nam, dum litteras ac mores tantum spectare videtur Borbonius, rhetoricæ, philosophiæ, mathematicis aliisque scientiis maximam partem Erasmus tribuit. Rabelæsus audacior non modo sermonem græcum et latinum in studiorum curriculo comprehendit, sed hebraicum, chaldaicum et arabicum. Non doctrinas omittit quibus medii ævi quadrivium continebatur, sed alias addendas existimat, sacrarum scilicet litterarum cognitionem, historiam, geographiam, jus civile. Nihil accuratius præcipit quam ut naturam rerum penitus agnoscamus, imo humanum corpus, sive medicorum libris evolvendis, sive pertractanda anatomia, ad intimum scrutemur.

Sed nobis animadvertendum est Borbonii præcepta, non ad adolescentes jam ætate provectos, sed ad adolescentulos, imo ad puerulos tantum pertinere. Non justam docendi rationem Borbonius, sed, ut ipse in scriptis sæpius professus est, elementariam pædologiam scribere in animo habuit. Quod quidem non ei vitio dabimus, sed potius laudi, cum operi suffecerit cui se parem crediderit.

1. *Nugæ*, VII, 66.
2. *Nugæ*, VI, 33. — Vide etiam carmen ad Stellam, VII, 86.

CONCLUSIO

Nunc paucissimis verbis perpendamus quid de Nicolao Borbonio sentiendum.

Virum sane fateor fuisse mendicum, scurram et impudentem procerum palpatorem, sed id quoque notandum plerosque hujus ætatis scriptores, vel inclytos, iisdem vitiis laborasse, quod mihi factum videtur non scriptorum culpa, sed temporum, quæ litteras ac litteratores in procerum clientelam ac famulitium prope redegerant. Atque ego nequeo non miserari hominem qui, ex honesto loco natus, potuisset, si, more fratris Joannis prætoris Mussei, utilioribus incubuisset artibus, « evadere dives, vivere securus, pretiosa veste nitere », sed in renascentes litteras tanto amore flagravit, ut omnia perpeti maluerit quam a Musis abstinere.

Borbonium non nego fuisse inferioris notæ poetam, magis versificatoribus quam poetis annumerandum. Non ego magni facio hæc poematia in quibus, nimium amator ingenii sui, nihil nisi verborum argutias miserabilesque cavillationes sectari conatus est ; nec curo magis innumeros illos versus quos in honorem procerum aut prædivitum patronorum famelicus auctor condidit ; rideo et licet rideam jocos plerosque amatorios qui concinnitate valent, non pectore ; sed nemo diffiteri potest Borbonium in rebus exponendis aut describendis excelluisse, cumque antiquitatem ad unguem calleret, numerorum facilitate, verborum proprietate, sermonis totius elegantia propius accedisse ad antiquos.

Pædagogum autem sine ulla exceptione laudoque proboque : nam, licet apud eruditos operibus jam sibi magnam laudem comparasset, in gratiam puerorum Borbonius repuerascere non dubitavit, et sedulo a tironum pedibus sentes ac spinas sustulit quibus iter jampridem impediebatur. Corporis æque et animi anxius, totius puerilis institutionis summam in eo ponit, ut natura non opprimatur sed alatur.

non dometur, sed adjuvetur. Adde quod in omni re, sive religionem, sive mores, sive litteras doceat, medium quemdam cursum semper tenet.

Ne quid plura, Borbonium constat, renascentium litterarum hodie obscurum militem, sua ætate non sine gloria militavisse.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
a. d. xv Kal. febr. ann. MDCCCLXXXVIII,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus

A. HIMLY.

Typis mandetur
Academiæ Parisiensis rector

GRÉARD.

INDEX

Cellis. — Excudebant Charaire et filius typographi.

CELLIS. — EXCUDEBANT CHARAIRE ET FILIUS TYPOGRAPHI.